
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
20 A
10






Francisci Redi

# ANT. CONTII COMMENTARIVS AD TIT. IIII. LIB. XXXXVIII. DIGEST.

Et prælectiones eiuſdem ad Tit. VIII. lib. Cod. IX. qui ad L. Iuliam Maieſtatis inſcribitur.





*Itemq; Index omnium coniurationum & defectionum, quæ ab initio mundi ad nouiſsima vſq; tempora variis in locis exortæ ſunt, ab eodem Contio congeſtus.*



* * *

SPIRÆ NEMETVM
Apud Bernardum Albinum.

M. D. XCIV.





# ILLVSTRI ET GENEROSO DOMINO, DOMINO FROBENIO, COMITI *ab Helfelſtein, Baroni & Domino in Gundelfingen, &c.*



ONSTITVI mecum, Illuſtris & Generoſe Domine Comes, Domine Gratioſe, nõ tantùm in foro & praxi verſantibus, verùm etiam iis, quibus in vmbrâ ſcholaſticâ iuriſprudentiæ ſolidæ fundamenta addiſcere animus eſt, operâ meâ pro virili prodeſſe. Vt enim in illorum gratiam hactenus quoſdam Italorum Iuriſconſultorum tractatus typis meis excudi; ita & his poſthac, imprimendo quædam Gallorum opuſcu-

la, partim omnino noua, partim impressa quidem antehac sed ferè distracta, gratificari conabor. Inter eos autem auctores, qui reuocando in scholas solidum & superioris seculi barbarie oppressum iuris studium de republica litteraria bene meriti sunt, primas ferè omnium eruditorũ iudicio tenet Antonius Contius. Is enim, cum præter linguæ latinæ puritatem, quæ patrum nostrorũ memoriâ rara aut nulla fuit, historiarum & antiquitatis studio excelleret, hisce tamquam duabus alis sese humo sustulit, & in abdita sacræ Iustitiæ penitrauit; vnde verum & genuinum multarum legum olim aut omninò non, aut malè intellectarum sensum nobis proferẽs gratam posteris sui memoriam reliquit. Scripsit ille inter cetera, in titulum D. & C. ad L. Iuliam maiestatis commentarium eruditissimum, quem cum diuenditis exemplaribus à multis desiderari viderem, eum prælo denuò subiicere & hac qualicunque opellâ

pellâ meâ iuris studiosis prodesse volui. Cum autẽ opusculo idoneus quærẽdus esset Patronus, cui⁹ sub auspicio denuò in lucẽ prodiret, tu, Illustris & Generose Domine Comes, ante alios occurris ea re dignissimus, vtpote qui antiquo generis nobilissimi splẽdori, quo multos Germanici Imperij Comites antecellis in tenero ętatis flore virtutum inclytarum cumulum addere, præsertim verò eruditionis cultu prosapiam illustrem ornare studueris; vnde factum, vt licet etiamnum corpore iuuenis, animi tamen dotibus & prudentiâ multis senex videaris, & propter generosissimam mentis acutissimæ indolem ab omnibus & quidẽ merito tuo ameris. Quãtò autem maiora sunt pectoris litterarũ studio excultissimi dona, tantò rectiùs te iudicaturum de opusculi huius præstantia, & id ipsum meliùs reformatæ iurisprudentiæ studiosis præclarissima nominis tui inclyti mentione commẽdatum iri confido. Rogo autem, vt hanc

hominis tenuis quidem conditionis, at virtutum tuarũ ſtudioſiſſimi & ad quæuis tibi præſtanda ſeruitiorum genera paratiſſimi compellationem, & tractatus huius, numero quidem foliorum puſilli, auctoris tamen laude celebrati dedicationem æquo animo accipias, meque inclytæ tuæ gratiæ fauore, & patrocinio non dedigneris. Quod reſtat, Deus Clementiam tuã ſubditis, adeoq; toti Reipublicæ diu ſoſpitem & incolumem conſeruet, & quæuis vitæ felicis commoda benignè largiatur. Spiræ Nemetum, prid. Calend. Martij Anno 1594.

*Illuſtri Clementiæ tuæ deuotiſsimus*

*Bernardus Albinus.*



# *EPIGRAMMA*
# DE
# ANTONIO CONTIO I.C.
## PRAESTANTISSIMO.

GALLIA *quando togâ claréret libera bello,*
*Produxit celebres iure in vtroq; viros.*
*Hos inter primus memoratur, iudice famâ,*
CONTIVS, *eloquio maximus, arte potens.*
*Vẽdicat hinc eũ ab interitu Themis alma, moriq;*
*Scripta hominis digni perpete laude vetat.*

*I. S.*

DIGESTORVM LIBER XXXXVIII. [1] AD LEGEM Iuliam Maieſtatis Tit. IIII.

*LEX I. VLPIANVS Libro ſeptimo, De officio Proconſulis.*



ROXIMVM [2] ſacrilegio crimen eſt, quod Maieſtatis dicitur.

* Maieſtatis *Definitio criminis maieſtatis.*
3 autẽ crimen illud eſt, quod aduerſus Populum Romanum, vel aduerſus ſecuritatem eius committitur. * Quo tenetur, is cuius opera dolo malo conſilium initum erit, quo obſides iniuſſu *Prima ſpecies criminis maieſtatis.*

2. ſpecies. Principis intercciderent. * Quo armati homines cum telis lapidibúſue in vrbe ſint, conueniántue aduerſus rempublicam, locáue occupentur vel templa, quóue cœtus conuentúſue fiat, hominéſue ad ſeditionem conuocentur.
3. ſpecies. * Cuiúſve opera, conſilio, dolo malo conſilium initum erit, quo quis magiſtratus Populi Romani, quíue Imperium poteſtatémue habet, occidatur.
4. ſpecies. * Quóve quis contra rempublicam arma ferat.
5. ſpecies. * Quíve hoſtibus Populi Romani, nuncium, literáſue miſerit, ſignúmve dederit, fecerítue dolo malo, quo hoſtes Populi Romani conſilio iuuentur aduerſus rempublicã.
6. ſpecies. * Quíve milites ſolicitauerit, concitauerítue, quo ſeditio, tumultúſve aduerſus rempublicam fiat.

## *COMMENTARIVS.*

I. Ad legem Iuliam Maieſtatis.

*Ratio ordinis.* *Priore titulo huius libri, tractatum eſt generaliter*

*liter de publicis iudiciis, & iis quæ huiusmodi iudiciis sunt communia, subiecta fuère, & alij duo tituli omnibus his iudiciis peræquè communes, De accusationibus: &c. & De custodia reorum. Ab hoc autem titulo tractare incipit Legislator, specialiter de singulis iudiciis publicis. Et quia inter ea principem locum obtinet, tum immanitate, tum etiam grauitate & totius reipublicæ, ni maturè occurratur, pernicie, hoc quod ex lege Iulia maiestatis descendit, meritoq́; primo loco & in institutionibus, & l. 1. suprà de publicis iudiciis enumeratum est: Idcirco etiam ante reliqua omnia hoc titulo propositum est.*

Ad legem IuliamMaiest.&c. *Perinde est ac si dixisset, De publico iudicio, quod ex lege publici iudicij, quæ Iulia maiestatis dicitur, descendit. l. 1. suprà de public. iudic.*

Maiestatis. *Subaudiendum est minutæ, seu imminutæ, vt veteres loquebantur: & Cicero in Verrem, ac ceteris libris: erat enim minuere idem quod frangere, rumpere, tollere, vt apud Plautum, diminuam tibi caput: significat frangam: & capitis diminutio, est status*

*corruptio,perditio,consumptio.l.pen. infrà de variis extraord.cog. Si autem posterioris seculi sermonem sequi malis, subaudies, læsæ; Nam & vulgò hodie crimen læsæ maiestatis appellamus,non minutæ maiestatis. Et l. 3. infrà eod.hoc verbo vtitur Martianus, qui maiestatem (inquit) publicam læserit. Et Papinianus l. 8. infrà eod.in quæstionibus(inquit) læsæ maiestatis:& Paulus l.penul. C.eod. læsam maiestatem dixit.*

Maieſtatis. *Maiestas (inquit Festus in verbo* maieſtas*) à magnitudine dicta est:vnde liquet hoc verbum ex eodem fonte deriuatum,ex quo hæc verba,magnus,magis,maius, magnitudo:ex quo etiam fonte & magister & magistratus deriuantur.* Maieſtas *igitur nihil aliud est quàm magnitudo, decus, imperium,amplitudo,potestas, dignitas,securitas, personæ eminentioris aut sanctioris:quomodo ferè definit Cicero de inuentio.ad Heren. 2.de orat.& cæteri rethores & oratores:hinc à Græcis* ΜΕΓΑΛΙΟΤΗΣ *dicitur in glossario Germaniano. Theophilus autem in paraphrasi Institutionum, in proœmio, appellat* μεγαλο-

φρωσύνη. *Sed in huius tituli argumento propriè à Græcis Harmenopulo, glossario præfato, Iustiniano etiam in Nouellis, appellatur* καθοσιώσεως ἔγκλημα, *maiestatis crimen, seu crimen contra maiestatem. Quod enim in Diis dicitur* θεμιτὸν *fas, in hominibus,* δικαῖον, *ius: id in personis sacrosanctis, cuiusmodi sunt Principes, dicitur* ὅσιον, *id est Augustũ, maiestatis plenum, & venerandum. Hinc maiestas ipsa Principis appellatur veneratio Principis. l. 2. C. de rebus creditis. Sed libro sexagesimo Basilicon titulus hîc inscribitur: Lex Iulia* κατὰ τῶν ἐπιβούλων, *id est, contra insidiatores; Principis scilicet aut reipublicæ.* καθοσίωσιν *Sudas definit* κατάκρισιν παρὰ τοῦ, ἤγουν τοῦ ὁσίου γίνεσθαι ἤτοι τοῦ βασιλέως. *Narrat autem, vt Symmachus quidam exconsul, tempore Theodosij Magni, metuens ne maiestatis reus fieret, quòd regalem orationem in laudem Maximi tyranni habuisset, ad septa siue claustra Ecclesiæ confugerit asylij, & immunitatis Ecclesiasticæ causa. Vtque Theodosius eum omni humanitate sit prosecutus. Sed maiestatis quidem nomen nunc latius, nũc*

*Moscopulus in syllogo Atticarũ dict. in verbo* δίκη.

*angustius sumitur. Nam Dei maiestas appellatur in l. non distinguemus. §. sacerdotio. suprà de arbitris: Et apud Valerium Maximum lib. 2. tit. 5. De maiestate, sumitur pro veneratione, priuatis quidem, sed virtute claris viris tributa: quam definit longum & beatum honorem sine honore, & quasi priuatam censuram, sine tribunalium fastigio, sine apparitorum ministerio, satis per se potentem in sua amplitudine obtinenda. Itaque Poetæ, qui, vt efficacius erudiant, virtutibus & vitiis proprias personas attribuunt, fingunt maiestatem Reuerentiæ, & honoris filiam. & Ouidius quinto Fastorum, dum varias mensis Maij nominis refert causas, quibusdam vel à maioribus, vel à Maia, vel aliqua alia origine verbum hoc deriuantibus, principio vbi refert à maiestate dictũ, narrat vt prima mũdi origine, nondum orta maiestate, nec terra cælo, nec sydera Soli cesserint, nec minores Dij maioribus.*

*Donec (inquit) honor placidoq; decens reuerentia vultu,*
*Corpora legitimis imposuere thoris.*
*Hinc sata maiestas quæ mundum temperat omnem*
*Quaque die partu est, edita magna fuit.*

*Nec*

*Nec mora consedit medio sublimis olympo*
*Aurea purpureo conspicienda sinu.*
*Consedere simul pudor & metus, omne videres*
*Numen ad hanc vultus composuisse suos.*
*Protinus intrauit mentes suspectus honorum,*
*Fit pretium dignis, nec sibi quisque placet.*

Et post, alia.

*Assidet inde Ioui, Iouis est fidissima custos,*
*Et praestat sine vi, sceptra tenenda Ioui.*
*Venit & in terras coluerunt Romulus illam,*
*Et Numa, mox alij tempore quisque suo.*
*Illa patres in honore pio matresque tuetur,*
*Illa comes pueris virginibusque venit.*
*Illa datos fasces commendat, eburque curule,*
*Illa coronatis alta triumphat equis.*

*Transfertur itaque maiestatis nomen & ad Deos & ad homines, & ad virgines, ad locum, orationem, naturam, nomen & alia inanimata: sed id fit per metaphoram. Nostri autem authores, qui propriis appellationibus vtuntur, solam sub hoc titulo Principis, vel populi maiestatem intelligunt. Nam laesae maiestatis diuinae crimen non hac lege vindicabatur, sed vel lege Iulia peculatus, vel extra ordinem ex constitutionibus, & olim extraordinario iudicio, de violatis sacris, quale in Clodium aliquando decretum fuisse ait Cicero de*

*violatis ſacris bonæ Deæ. Hæreſeos quoque crimen,& paganitatis atque apoſtaſiæ,ex conſtitutionibus Chriſtianorum Principum, puniuntur, quæ primo libro Codicis relatæ ſunt. Ideo videntur erraſſe illi, qui cùm in veteri municipij lege cautum eſſet, in ſolo crimine læſæ maieſtatis locũ eſſe confiſcationi bonorum, addiderunt maieſtatis diuinæ aut humanæ. Grauius eſt crimen,fateor,& ſacrilegium quoque & parricidium grauius: ſed diuerſa ſunt crimina,licèt adfinia:neq; eadem vbique ratio eſt publicandorum bonorum: publicantur in læſa maieſtate Principis, ne filiis & poſteris opes ſint reliquæ, quibus peſſimum parentum exemplum inſtaurent. At nullis opibus,aut pecuniis opus eſt ad crimen hæreſeos perpetrãdum.* Diuiſio. *Porrò ſciendum eſt crimen hoc maieſtatis, quod promiſcuè apud veteres videtur fuiſſe vocatum,* Perduellionis,*hodie diuidi in id crimen maieſtatis, quod perduellionis & hodie appellatur, quaſi dicas hoſtilitatis, cùm quis hoſtili animo in Principem vel rempub. eſt animatus:vt dicitur l. vlt.infrà eod. & id crimen maieſtatis, quod maieſtatis duntaxat ap-*

*appellatur, & superiore leuius est, neque eodem modo punitur, nec contra hæredes inchoatur. Vtriusque criminis reos defendit Cicero, prioris, Rabirium perduellionis reum, pro quo extat oratio, posterioris, Cornelium maiestatis reum, pro quo oratio non extat integra, sed lacera apud Asconium Pedianum.*

Ad legem Iuliam. *Vt nihil antiquitatis ignoretur, sciendum est hanc legem, Iulianæ dictam à C. Iulio Cæsare, qui eam tulit Dictator de vi & maiestate, pœnamq; addidit aquæ & ignis interdictionis. Itemq; addidit vt condemnato, ad populum prouocare non liceret. Testis Cicero Philipp. I. coniunxerat enim vim publicam cum maiestate, quia qui vim publicam adhibet, maiestatem lædit. Fuit autem hæc lex Iulia Cæsaris tralatitia ex lege Cornelia maiestatis, quam tulerat Cornelius Sulla, vti Cicero indicat in oratione in Pisonem. Sed pœna illa aquæ & ignis interdictionis opinioni Cæsaris conueniens (putabat enim, vt est apud Salustium, exilium morte esse grauius) postea antiquata, in mortis pœnam mutata est. Insti. de publ. iudi. §. j. l. quisquis. C. eo. Nam* IVLIAM

*& lex 12.tabula.pœnam capitis ſanciuerat.l.3. infrà eod. Sed tempore Cæſaris vigebat adhuc lex Portia: item Sempronia, quæ omnibus ciuibus capitali noxa damnatis exilium permittebant. Fuit & legis 12.tabul.de proditione verſus.l.3.ͅj. eod. & lex varia proditionis memoratur apud Aſconiũ & Pliniũ, de viris illu.*

2. Proximum ſacrilegio crimen eſt, quod maieſtatis dicitur. *Proximum; Græci autem interpretantur ſimile: malim tamen interpretari, id eſt proximè ad grauitatem ſacrilegij accedens, non tamen tam graue: Dei enim violatio maior, quàm Principis. Inde pleræque ſacrilegij ſpecies grauius puniuntur, quàm perduellio, puta crematione, vel pœna beſtiarum. l.ſacrilegij. infrà ad legem Iuliã peculatus, & de ſacrilegiis. Olim quoq; ſumma & acerbiſſima omnium pœnarum plectebãtur ſacrilegi, pœna videlicet culei, qua multo poſt tempore parricidæ puniri cœperunt. Sic nim narrat Valerius Maximus libro 1. capitulo 1. de Tarquinio Rege: ſi locus emendatè legatur, delata negatione ex non multo poſt, quæ in manuſcriptis deeſt: Refert autem Tarqui-*

*quinium ea pœna vſum in Marcum Tullium Duumuirum, quòd librum ſecreta ciuilium ſacrorum continentem cuidam deſcribendum dediſſet: & rationem translatæ ad parricidas pœnæ refert, quia pari vindicta Parentum ac Deorum violatio expianda eſt. Erant tamen quædam ſpecies violatæ religionis, quæ ſola expiatione ſacrorum puniebantur, aliæ etiã vt periurij, propriè vltioni Deorum relinquebantur: Ex quo genere illæ ſunt ſententiæ, violatam religionem ſatis Deum vltorem habere. lege 2. C. de rebus creditis: Et apud Cornelium Tacitum libro primo, Deorum iniurias, Diis curæ.*

Sacrilegio. *Eſt & proximum parricidio, atque ideò ſæpe hoc crimen appellatur parricidium. Florus de coniuratione Catilinæ. Fuluia viliſſimum ſcortum, ſed parricidij innocens. Salluſtius de Catilina Ciceroni maledicente in Senatu. Ad hæc maledicta (inquit) alia cùm adderet, obſtrepere omnes, hoſtem atque parricidam vocare. Et in oratione Cæſaris. At enim quis reprehendet, quòd in parricidas reipublicæ decretum erit? Meritò*

*igitur parricidium appellatur. Si enim patria cõmunis nostra est parens, qui patriæ vim & interitum infert, quasi qui parentem occidat, parricidium admittit.*

3. Maiestatis autem crimen illud est quod aduersus Populum Romanũ, vel securitatẽ eius committitur. *Hæc videtur esse definitio, vel descriptio huius criminis.*

Populum Romanum. *Populi Romani dignitatem, decus, honestatem: veluti si quis Ciuem Romanum virgis cædat, indemnatúmue in vincula coniiciat: quod in se contra ius admissum à Philippensibus queritur Diuinus Paulus, Actorum cap. 16. quæ species etiam in vim publicam incidit. l. lege 8. infrà ad l. Iul. de vi publica: lege Iulia de vi publica, cauetur ne quis reum vinciat, impediátue, quominùs intra certum tempus, Romæ adsit.*

Vel securitatem eius. *id est tranquillitatem, quietem, incolumitatẽ. Accursius & Bartolus in barbarum vsum hanc vocem exaudientes pro fide publica, quam vulgus saluam gardiam vocat, se ridendos, seu potius miseratione & venia dignos ratione barbari seculi*

exhi-

*exhibuerunt: in quibus eludendis & refutandis nimius est meo iudicio Budæus, in re nimirum satis manifesta. Si quis tamen fidem publicam habentem, læserit, grauius puniendũ puto, & fortè etiã tanquam reũ maiestatis.*

Quo tenetur is cuius opera dolo malo consilium initum erit, quo obsides in iussu Principis interciderent.

*Hæc prima videtur hoc loco referri species læsæ maiestatis. Sex autẽ hac lege prima species propriis paragraphis & notis distinximus, ne incautus fortè lector plures vel pauciores comminisceretur: idemq; in sequentibus legibus obseruaui.*

Interciderent. *Fugerent, ait Accursius, perperam: recti Græciis, id est interimerentur: atque hoc facto noua hostibus occasio daretur, vel fœderis rumpendi, vel belli renouandi, vel iustè Populo Romano succensendi. Sanè qui legatos hostium pulsarunt, deduntur hostibus, & hoc facto ciuitatem amittunt, quamuis eos hostes non recipiant: sic enim intelligenda est l. vlt. infrà de legationibus. Idemq; ait Cicero 7. in Verrem, de his qui fœdus*

*violarunt: Et Varro in vita Pop. Rom. Si cuius legati violati essent, qui id fecissent, quamuis nobiles essent, vt dederentur ciuitati, statuerunt: Fecialesq́; xx. qui de his rebus cognoscerent, iudicarent, & statüerent, constituerunt.*

Quóue cœtus conuentúſue fiat. *Concurrit cum hac ſpecie, etiam legis Iuliæ de vi publica crimen. l. 3. & 5. infrà ad l. Iuliam de vi publ.*

In ſpeciem 5.

Signúmve hoſtibus dederit. *Puta accenſam facem, vel linteum album, in coniuratione Cæſaris cum Craſſo, P. Sylla & Antonio, conueniſſe Suetonius ait, vt Cæſar togã de humero deiiceret: neque verò re ſolùm, ſed & verbo ſignum dari poteſt, idq; eſt frequentius: ſic Pertinax quando primùm in Imperiũ adſcitus eſt, ſignum dederat militibus,* Militemus. *Seuerus verò Imperator ſupremo vitæ die, quaſi ex antitheſi, Tribuno ſignum dari iuſſit,* Laboremus. *Spartia. in Seuero.*

*In Iulio. cap. 9.*

In

In ſpeciem 6.

Quiue milites ſolicitauerit. *Confirmat Cicero hanc ſpeciem pro Cluentio Auito. Nam ait Balbum quendam damnatum fuiſſe maieſtatis, quòd legiones in Illyrico ſolicitaſſet: maieſtatis (inquit) non perduellionis: ex quo intelligimus ſpecies hîc relatas, ad perduellionis crimen non pertinere.*

---

## LEX II. IDEM Libro octauo Diſputationum.



VIVE de prouincia, cum ei ſucceſſum eſſet non diſceſſit. 7. ſpecies. * Aut qui exercitum deſeruit. 8. ſpecies. * Vel priuatus ad hoſtes perfugit. 9. ſpecies. * Quiue ſciens falſum conſcripſit, vel recitauerit in tabulis publicis. 10. ſpecies. Nam & hoc capite primo, lege maieſtatis enumeratur.

Quíue de prouincia. *Nam is contra rempub.nititur retinere Imperium, quod iam non habet.l.meminiſſe, ſuprà de offic. Procon. huic ſpeciei adfinis eſt quæ refertur l. 3. infrà eod.ſed contraria.*

Aut qui exercitum deſer. *Hic enim videtur fouere hoc facto partes hoſtium, præſertim ſi quis magiſter militum cuſtodiendæ vrbi deſtinatus, relicto exercitu receſſerit aut fugerit, vt Græci notant. Cicero in Piſonem ait etiam eum teneri, qui imperio præditus, exercitum extra prouinciam ſuam duxerit.*

Vel priuatus. *Rectè priuatus : nam ſi miles transfugerit, pro hoſte habetur, & ideò perduellionis reus eſt.l.3.§. is qui ad hoſtem, & l.proditores.7.infrà de re militari.*

Quíue ſciens falſum. *Exigunt Græci vt id falſum, ſit contra ciuitatem & rempublicam, aliâs falſi tantùm crimen eſſet, non maieſtatis.*

LEX

LEX III. MARCIAnus libro quartodecimo Institutionum.



EX duodecim tabularum iubet eum qui hostem cõcitauerit, quíve ciuem hosti tradiderit capite puniri. *11. species*
Lex autem Iulia maiestatis præcipit, eũ qui maiestatem publicam læserit teneri. * Qualis est ille qui in bellis cesserit, aut arcem tenuerit, aut castra cõcesserit. *12. species* * Eadem lege tenetur & qui iniussu Principis bellum gesserit, delectúmve habuerit, exercitum comparauerit. *13. species* *Quíve cum ei in prouincia successum esset, exercitum successori non tradidit. *14 species* Quíve imperium exercitúmue Populi Romani deseruerit. * Quíve priuatus pro potestate, magistratúve quid sciens dolo malo gesserit. *15. species* Quíve quid eorum quæ suprascripta sunt, facere curauerit. *Generalis clausula ad superiora, & sequẽtia.*

Lex *12*. tabul. *Vndecimam ſpeciem hanc fecimus, quia licèt id in l. Iulia maieſtatis cautum non fuerit, tamen ad eam refertur ex Marciani ſententia: quia hic maieſtatem publicam proculdubio lædit, quod lege Iulia maieſtatis diſertè punitur. Sed ſententiam potius 12. tabularum Marcianus recitat, quàm verba quæ ſic habere videbantur. Qui perduellem cõcitaſſit, ciuémve perduelli tradiderit, capite * luito: perduellem enim in duodecim tabulis nominari, & ibi ſignificare hoſtẽ, teſtes ſunt Caius. l. quos nos hoſtes, infrà de verb. ſign. Varro. 4. de lingua lati. Feſtus lib. 8. in verbo hoſtis. Hinc perduellionem alicui iudicare: eſt hoſtilitatem alicui ſententia denunciare, vt ea ſententia iam deſinat eſſe ciuis cui hæc iudicatio ſit. Videtur autem hic 12. tabularum verſus, fundamentum fuiſſe omnium legum maieſtatis, Iuliarum, Corneliarum & Variæ de proditione. Nam ab initio pauca facta erant, quibus maieſtas minui diceretur: vt ait Taci. lib. 1. quo loco narrat Tibe-*

** Vel fortè caput luito.*

be-

*berium, quamuis ficta oratione ad ciuilitatem tendere videretur, non tamen ideò fidem fecisse ciuilis animi: quia legem maiestatis reduxerat, cui nomen apud veteres idem, sed alia in iudicium veniebant: Nam Tiberius etiam dicta aut facta leuissima ad hoc crimen trahebat, vt multis monstrat exemplis, cùm olim hæc sola essent maiestatis crimina*, Si quis *proditione exercitum aut plebem, seditionibus denique, malè gesta republica, maiestatem Populi Romani minuisset.*

Qui in bellis cesserit, aut arcem tenuerit. &c. *Quid cedere in bello, nulli non cognitum. Itaque miror Budæum, doctum hominem, voluisse hanc lectionem mutare, legereq́ uno verbo Imbellis. Quod autem sequitur* aut arcem tenuerit, *suspectum esse nemo non videt. Itaque ex Græcorum metaphrasi puto legendum*, arcem deseruerit. *Nam cæteræ interpretationes apud Accursium relatæ perquam mihi videntur absurdæ.*

Et qui iniussu Principis bellum gesserit. &c. *Et quamuis hic vicerit, tamen punitur: Subaudiunt Græci ad hunc locum, &*

*Theodorus Balsamon ad 34. canonem synodi sextæ generalis in Trullo: exemplo scilicet eius militis qui mandata non seruauit, qui etiamsi benè res cesserit, capite punitur. l. 3. §. in bello. infrà de re militari. Gellius lib. 1. cap. 13. vbi exempli gratia commemorat mandata Manliana, Postumiana, & Muciana de duobus mālis nauigiorum. At in priuatis rebus, licet interdum excedere fines mandati in melius. Ad hanc speciem referendum esse videtur, quòd ne magister quidem militum, aut dux exercitus potest aliquem militem in vllo numero equitum vel peditum sociare absque probatoria Principis, ac ne in demortuorum quidem locū substituere. l. neminem. C. de re militari. l. vlt. C. de off. magn. offi. Suetonius tamen ait Iulium Cæsarem ad legiones, quas à republica acceperat, alias publico, alias priuato sumptu addidisse, vnam etiam quam Alaudam vocauit.*

In Iulio ca. 24.

## Ad speciem 14.


Quíve cùm ei in prouincia successum esset. *Hoc tam de ciuili, quàm militari magistratu*

*gistratu intelligunt, Græci interpretes rectissimè.*

Deseruerit. *Ante scilicet quàm ei successum esset: iungenda est l. meminisse. suprà de offic. Proconsulis. Suetonius in Iulio cap. 18. ait eum neque more, neque iure antequam prouinciæ ordinarentur, profectum esse in Hispaniam, pariq; festinatione, non expectato successore ad triumphum & consulatum decessisse.*

Si quis priuatus pro potestate, magistratúve quid sciens dolo malo gesserit. *id est, qui falsum magistratum sibi vindicauerit, vt Græci interpretantur. Cæterum tenetur is etiam falsi, lege qui nomine. infrà de falsis.*

Quíve quid eorum. *Hæc vltima clausula generalis ad præcedentes & sequentes species pertinet.*



LEX. IIII. SCAEVOla libro quarto Regularum.

16 *ſpecies* VIVSQVE dolo malo iure-
iurando quis adactus eſt,
quò aduerſus rempubli-
17. *ſpecies* cam faciat. * Cuiúſve
dolo malo exercitus populi Romani in
inſidias deductus, hoſtibúſve proditus
erit. * Factúmve dolo malo cuius
18. *ſpecies* dicitur, quominus hoſtes in poteſtate
19. *ſpecies* Populi Romani veniant. * Cuiúſve
opera dolo malo hoſtes Populi Roma-
ni commeatu, armis, telis, equis, pecu-
20. *ſpecies.* nia, aliáve qua re adiuti erunt. * Vt-
ve ex amicis hoſtes Populi Romani fiãt:
cuiúſve dolo malo factum erit, quò Rex
exteræ nationis, Populo Romano mi-
21. *ſpecies,* nus obtemperet. * Cuiúſve opera do-
lo malo factum erit quò magis obſides,
pecunia, iumenta, hoſtibus populi Ro-
mani dentur aduerſus rempublicam.

* Item

* Item qui confessum in iudicio reum, & propter hoc in vincula coniectum, e miserit. * Hoc crimine liberatus est à Senatu qui statuas Imperatoris reprobatas conflauerit.

22. *species.*

*Sequuntur falsæ species & reiectæ.*

I

## COMMENTARIVS.

Iureiurando quis adactus est,&c. *id est vt Græci interpretantur: Si quis coniurationem, factionē, societatem*, φρατρίαν, *aduersus rempub. fieri curauerit: qua de re extat titulus in Nomocanone* περὶ τῶν συνωμωσίας φρατρίας ποιοώντων. *Tit. 9. cap. 37.*

*Ad 16. speciem.*

Ad speciem 18.

Quominus hostes in potestate P. R. venirent. *Huic proximæ sunt species relatæ in l. Metrodorum, infrà de pœnis.*

Commeatu. *Id est multitudine ad eos transeunte: Græci ad hunc locum interpretantur: aliâs hoc verbum longè aliter vsurpatur.*

Ad speciem 22.

Et propter hoc in vincula coniectum.

*Nam nemo inauditus, ſed aut confeſſus aut damnatus in vincula publica coniiciebatur ex 12.tabulis.l. ſi confeſſus. ſuprà tit.prox. qua de re conqueſtum fuiſſe Diuinum Paulum ſuperiùs monuimus: rectè autem contra rempublicam facere dicitur, qui de cuſtodia confeſſum emittit, quia reipublicæ intereſt, exemplum publicum de eo ſumi, vt vnius pœna, metus poßit eſſe multorum: ſed qui à priuatis vinculis miſericordia ductus ſeruum emittet, tenetur actione in factum: Inſti. de lege Aquilia, in fine.*

---

## L B X V. MARCIAnus libro quinto Regularum.

2 On contrahit crimen maieſtatis, qui ſtatuas Cæſaris vetuſtate corruptas reficit.
3 * Nec qui lapide iactato incerto fortuitò ſtatuam attigerit, crimen maieſtatis commiſit, & ita Seuerus,

rus,& Antoninus Iulio Caſſiano reſcripſerunt. * Idem Pontio reſcripſerunt, non videri contra maieſtatem fieri ob imagines Cæſaris nondum conſecratas venditas. 4

---

LEX VI. VENVLEIUS Saturninus libro ſecundo de iudiciis publicis.



Qvi ſtatuas aut imagines Imperatoris iam conſecratas conflauerint, aliúdve quid ſimile admiſerint, lege Iulia maieſtatis tenentur. Species. 23.

*COMMENTARIVS.*

Non contrahit. *Superiore lege extrema & hac tota quarta, inutiles ſpecies & reiectæ proponũtur, dubitationis remouẽda cauſa. lege verò 6. 23. ſpecies vtilis refertur: hinc liquet, vſum ſtatuarum etiam apud Principes Chriſtianos manſiſſe, ſed ſine adoratonis, vt aiunt, ambitioſo faſtidio, lege tertia.*

*C. de statuis. Exemplum alioqui extat apud Danielem trium puerorum Sidrac, Mis. & Abd. in igneam fornacem coniectorum ob detrectatam statuæ Principis adorationem: quòd ad 4. species reiectas attinet non debet mirum videri, si ea de re dubitari potuit. Nam Tiberius, & sequuti eum Imperatores tot & tam leues species ad hanc legem Iuliam retulêre, vt solus defuisse videatur prætextus ad crudelitatem. Primùm enim cùm facta sola hac lege punirentur, primus Augustus etiam dicta, id est famosos libellos specie eius legis exercuit, sumpta occasione ex Cassij Seueri libidine, qui omnes illustres, vtriusq; sexus scriptis procacibus diffamabat. Idemq; postea Tiberius est sequutus, irritatus carminibus in ipsum matremq; Liuiam factis: admisit & leuiora si non initio, tamen sensim: si non ipse, tamen iudices eius in ipsius adulationem. Nam Paconianus quidam ob carmina in Principẽ strangulatus est: & anno imperij eius 12. Cremutius Cordus postulatus est, quòd editis annalibus laudatoq; M. Bruto, C. Cassium Romanorum vltimum dixisset, cùm se ita defen-*

Idẽ Sueto. in eodem c. 61

de-

*deret: Verba mea patres conſcripti arguuntur, adeò factorum innocens ſum: ſed neque hæc in Principis parentem, quos lex maieſtatis amplectitur: Brutum & Caſſium laudauiſſe dicor. &c. Tacitus lib. 4. Referam nunc aliquot ſpecies, quarum illo ſeculo pleræque admiſſæ, quædam reiectæ.*

*1 Si inter cultores Auguſti quidam infamis fuiſſet adſcitus: Sed Tiberius hanc ſpeciem reiecit.* *Ex Cornel. Tacit. libr. 1.*

*2 Si venditis hortis ſtatuam Auguſti quis ſimul mancipaſſet, id eſt, tradidiſſet per æs & libram: ſed & id reiecit Tiberius: ea eſt quarta ſpecies reiecta hîc in l. 5. ſi modò ſubaudias ſtatuam nondum conſecratam.*

*3 Si quis alterius ſtatuam altiùs collocaſſet quàm Cæſaris. Tacit. lib. 1. & Suetonius in Tib. ca. 58. ait rem per tormenta quæſitam.*

*4 Si quis amputatum ſtatuæ Auguſti caput, effigiei Tiberij addidiſſet: ſed hanc ſpeciem reiecit Tiberius.*

*5 Si quis effigiem Principis ad vſum promiſcuum vertiſſet: ſed Tiberius vetuit recipi inter reos, aſpernante Atteio Capitone Iuriſcō-*

*sulto, quem infamia ob hoc factum insignitum esse scribit Tacitus lib. 3.*

*6 Si quis probrosis sermonibus Augustum aut Augustam inlusisset, aut si qua de Augusto inreligiosè dixisset.*

*7 Sub eodem Tiberio Votianus Montanus, celebris ingenij vir, ob probra in Tiberium dicta, maiestatis damnatus est, Tacitus libro 4.*

*8 Idem Tiberius Apidium Meculam, quòd in acta D. Augusti non iurasset, exilio puniuit. Tacitus lib. 4.*

*9 Titius Sabinus ob amicitiam Germanici & Aggrippinæ & conuitia in Seianum, Kalendis Ianuariis ex literis Tiberij à Capreis missis, maiestatis damnatus est: Nam & ipse Seianus ex similibus literis, voluntatem tantùm Tiberij continentibus, nullo delatore, nullis iudiciis, nullo teste interfectus est. Iuue.*

*Nil horum, inquit, verbosa & grandis epistola venit*
*A Capreis bene habet: nil plus interrogo.*

*Quasi dicat quod Principi placuit legis habet vigorem.*

*10 Nero Cassium Iurisconsul. iussit interfici, quòd in vetere gentili stemmate retineret*

*ima-*

*imaginem Caßij interfectoris Cæsaris. Suetonius in Nerone.*

*11 Sueto. in Tibe. c. 58. ait paulatim eò rem processisse vt hæc capitalia essent: circa Augusti simulachrum seruum cæcidisse, vestem mutasse, nummo vel annulo effigiem Augusti impressam, latrinæ aut lupanari intulisse: dictum vllum, factúmve eius, existimatione aliqua læsisse: Periit denique & is qui honores in colonia sua, eodem die decerni passus est, quo decreti & Augusto olim erant.*

*12 Idem Auctor in Caligula. c. 27. multos honesti ordinis deformatos, priùs stigmatum notis ad metalla & munitiones viarum ab eo condemnatos ait, aut bestiarum more, quadrupedes cauea coercitos, aut medios serra dissectos, leuibus ex causis, vtpote, vel malè de munere suo opinatos, vel quòd nunquam per genium suum deierassent. Item ibidem, Atellanæ poetam ob ambigui loci versiculum, media Amphiteatri arena igni crematum: equitem Romanum obiectum feris, cùm se innocentem proclamasset: reduxisse, & abscissa lingua, rursus induxisse: ob*

Sueto. ibidem c. 28. *adulatorium quoq; cuiusdam ab exilio reuocati responsum, se illic orasse vt periret Tiberius, imperaret Caius, opinans sibi idem exules suos imprecari, eos vniuersos iußit contrucidari.*

*13 Quæ sub Claudio, Nerone, Domitiano huius legis specie, crudeliter admissa sunt, & animus quoque referre horret, & talia requirenti in promptu sunt Suetonius & Tacitus, aliiq; Historici.*

*14 Caracalla imperante ad hoc crimen tractum est, si quis vrinam in eo loco fecisset vbi statuæ erant: & si quis coronas imaginibus Cæsaris positas detraxisset, vt alias poneret.*

Aliúdve quid simiie admiserint.

*Puta lapidibus petierint statuas Cæsaris, vt accidit statuis Constantini. Chrysost. homil. ad pop. Anthiochenum. Tacitus lib. 4. & aliis multa de similibus admißis narrat.*

LEX

## LEX VII. MODESTINUS LIBRO DUODECIMO PANDECTARUM.

Famosi qui ius accuſandi non habent, ſine vlla dubitatione admittũtur ad hanc accuſationem: ſed & milites, qui cauſas alias defendere non poſſunt: nam qui pro pace excubant magis magiſq; ad hanc accuſationem admittendi ſunt. * Serui quoque deferentes audiuntur, & quidẽ dominos ſuos, & liberti patronos. * Hoc tamen crimen à iudicibus non in occaſionem, ob principalis maieſtatis venerationem habendum eſt, ſed in veritate. Nam & perſonam ſpectandam eſſe, an potuerit facere, & an ante, quid fecerit, & an cogitauerit, & an ſanæ mentis fuerit. Nec lubricum linguæ ad pœnam facilè trahendum eſt: quanquam enim temerarij

digni pœna sint, tamen vt insanis illis parcendum est, si non tale sit delictum, quod vel ex scriptura legis descēdit, vel ad exemplum legis vindicandum est.

* Crimen maiestatis facto, vel violatis statuis, vel imaginibus, maximè exercebatur in † milites.

† *Perperā quidam delēt hoc verbum.*

*COMMENTARIVS.*

Famosi, qui,&c. Sed & milites.&c. *Quod de famosis seu infamibus, & militibus, & seruis excipitur, idem & in crimine annonæ iam exceptū est. l. mulieres. suprà de accusat. vbi & mulieres excipiuntur, quæ non hac, sed sequente lege excipiētur. Illic etiam de militibus eadem ratio redditur, quia pro pace excubant, id est securitate: hanc autem legem dictum est, vindicare cōmissa aduersus securitatem P.R. l. 1. supra. eo. Hic de libertis aduersus patronos idem dicendum additur. Has autem exceptiones non solùm in perduellione, sed etiam simplici læsa maiestate locum habere Græci putant: & in 23. speciebus ante relatis:*

*tis: ut tamen serui in dominos torqueantur. l. 1. C. de quæstio. exigere videtur, ut tale sit crimen maiestatis quod ad salutem Principis pertineat: quod in l. penul. C. ad l. Iul. Ma. indistinctè dicitur. Vetere Senatusconsulto prohibebatur, ut ait Tacit. ne in ullo crimine seruus in caput domini torqueretur, sed Tiberiū fraudem senatusconsulto fecisse, dum iussit seruum vendi: id enim est mancipari actori, (id est, seruo) publico: sed & hæc crimina ait vinculum fuisse & necessitatem silendi, quia nemo necessariorum iuuare audebat periclitantem.* Cor. Ta. lib. 2. & lib. 3.

Facto vel violatis statuis. *Factum opponit dicto, quia milites ob ferociam multa per lubricum linguæ dicunt: sed si facto & facinore in hanc legem incidant, seuerius puniuntur: quia ante diximus in l. 2. transfugas paganos in simplex maiestatis crimen incidere: transfugas verò milites in perduellionis crimen: item violationem statuarum addidit: quia milites quò signis & imaginibus propiores sunt, eò maiore veneratione statuas Principis amplecti debent.*

Hoc tamen crimen à Iudicibus non in occasionem, &c. *Sanctissima sententia, non oportere Iudices abuti veneratione Principis, sed veritatem spectare. Meminerat Modestinus eorum quæ de ea re à Tacito scripta sunt libro 3. Incedebat (inquit) deterrimo cuique licentia, impunè probra & inuidiam in bonos excitandi arrepta imagine Cæsaris: libertiq́, etiam ac serui, patrono, vel domino, cùm voces, cùm manus intentarent, vltro metuebantur: ait tamen duos Equites Romanos punitos, quòd fictis maiestatis criminibus Magium Cæcilia. Prætor. petiuissent: mox sequen. pag. Priscus Codrum postulauerat repetundis, addito maiest. crimine, quod tamen omnium accusationum complementum erat: Itaque & C. Sillano Proconsuli Asiæ repetundarum postulato, hoc insuper crimen fuisse congestum: idem lib. 4. loquens de quibusdam reis. Nec dubiè repetundarum (inquit) criminibus hærebant, sed cuncta quæstione maiestatis exercita. Idem etiam scribitur de nono Tiberij principatus anno agens, ait Leges bo-*

*no*

*no in vsu vsque adhuc fuisse, si maiestatis quæstio eximeretur. Idem lib. 5. cùm multi accusarentur post Seiani supplicium, ob amicitiam in ipsum: Marcus Terentius ob eam causam reus in Senatu, id ingenuè fassus est, & sic orationem clausit: insidiæ in Rempublicam, consilia cædis aduersum Imperatorem puniantur, de amicitia & officiis, idem finis & te Cæsar & nos absoluerit: quam ob orationis constantiam absolutus est: Sed nec Fœminas huius periculi extorres fuisse ait, quia occupandæ Reipublicæ argui non poterant, ob lachrymas fuisse accusatas: & necatam anum Fusij Gemini matrem, quòd filij necem fleuisset. Idem libro 5. ait omnes qui carcere attinebantur accusati, societatis cum Seiano, necatos: nec propinquis aut amicis, inquit, adsistere, inlachrymare, ne visere quidem diutius dabatur, sed circumiecti custodes, & in mœrorem cuiúsque intenti, corpora putrefacta adsectabantur, dum in Tiberim traherentur.*

*Cùm igitur huius criminis occasione,*

*tot crudelitates exerceri animaduerterent sequentes benignioris animi Imperatores, eorum plerique quæstionem maiestatis exerceri prohibuerunt: rati sufficere cæteras publicorum iudiciorum quæstiones, nempe de vi publica, de falsis, de repetundis, de Sicariis, qua forsan ratione moti Codicis Theodosiani compositores, constitutionem illam* Quisquis, *in conspiratores terribilem, quam Tribonianus sub titulo maiestatis posuit, sub titulo de Sicariis posuêre. Sanè Claudius Cæsar legem maiestatis exerceri prohibuit, & Plin. in Panægyrico ait, Maiestatis crimen singulare esse, & penè vnicum crimen eorum, qui crimine carerent: ideóque huius metum à Troiano esse sublatum, contento magnitudine, qua nulli magis caruerunt, quàm qui sibi maiestatem vindicarunt. Et Capitolinus de Pertinace: Quæstionem maiestatis penitus tulit, cum iureiurando. Rouocauit etiam eos qui deportati fuerant crimine maiestatis, eorum memoria restituta, qui occisi fuerant. Spartianus de Hadriano, maiestatis crimina non admisit, scilicet, Hadrianus*

*nus & Alexander Mammeæ in l.1.C.eod. titulo. Etiam ex aliis causis (inquit) maiestatis crimina cessant meo seculo. ex aliis (inquit) non ex omnibus, nec ex his quæ aut hoc aut illo titulo recitantur, si Iustiniano credimus, dummodò, vt ait Modestinus, non in occasione, sed in veritate habeatur hoc crimen. in veritate autem habetur, si sequentes 4. circumstantiæ attendentur. 1. an persona potuerit facere, fortè enim mulier erat aut impubes, &c. 2. an ante quid fecerit: fortè enim insons & innocens hoc crimine quis adpetitur. 3. an cogitauerit: fortè enim per garrulitatē id iactauit se facturum, quod ex animi sententia eum sensisse improbabile est. 4. an sanæ mentis fuerit: nam si furiosus fuit, non tenetur.*

Nec lubricum linguæ ad pœnam facile trahendum est. *Recte. nam nec dicta ante Augustum ad crimen maiestatis pertinebant, vt dictum est.*

Facile trahendum est. *Addidit facile, propter sequentem exceptionem,* Si non

tale sit delictum, quod ex scriptura legis descendat, vel ad exemplum legis vindicandum sit. *Græci exemplum proferunt, veluti si quis dixerit principem non esse Orthodoxum. Cæterum, extra hanc exceptionem, seruanda erit lex singularis Imperatorum Christianorum, posita in Codice, titulo Si qui Imperatori maledixerit, his verbis.*

IMPERATORES THEODOSIVS, ARCADIVS, & HONDRIVS, A A A. RVFINO. P P.

SI quis modestiæ nescius, & pudoris ignarus, improbo petulantique maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum nostrorum fuerit, eum, pœnæ nolumus subiugari, neque durum aliquid nec asperum volumus sustinere. Quoniam si id ex leuitate processerit, contemnendum est: si ex insania, miseratione dignissimum: si ab iniuria, remittendum.

Vnde

Vnde integris omnibus hoc ad nostram ſcientiam referatur, vt ex perſonis, hominum dicta penſemus, & vtrùm prætermitti an exquiri debeant, cenſeamus. Dat. VI. Id. Augu. Conſtantinop. Theodoſio. A. III. & Abundantio. Conſſ.

Quoniam ſi id ex leuitate, &c. *Zonaras ad 84. Canonem Apoſtolorum ſic epitomat ex libro 60. Baſil. titulo 36.* Ἐάν τις κακῶς μνημονεύσῃ τοῦ βασιλέως, οὐχ ὑπόκειται τιμωρίᾳ. ἀλλὰ χρὴ τὰ περὶ αὐτοῦ τῷ βασιλεῖ μηνυθῆναι. Εἰ γὰρ ἀπὸ κουφότητος ἐξῆλθε, καταφρονητέον, εἰ δὲ ἀπὸ μανίας, ἐλεημοσύνης ἄξιον, εἰ δὲ ὡς ἀδικούμενος, συγχωρητέον. *Harmenopolus quoque libr. 6. tit. 14. paulo diuerſiùs recitat: addit enim* εὐθὺς. οὐχ ὑπόκειται εὐθὺς τιμωρίᾳ. *& pro illis verbis* ἀλλὰ χρὴ, *&c. ſcribit,* ἐξ ἀνάγκης δὲ ἔχουσιν οἱ ἀκούσαντες, μηνῦσαι τῷ βασιλεῖ καὶ ὁ βασιλεὺς ἐπ᾽ ἀδείας ἔχει ὃ βούλεται ἐπ᾽ αὐτῷ διορίσασθαι. πλὴν καὶ ταῦτα περὶ τῶν τοιούτων ὁ νόμος διακελεύεται. εἰ μὲν ἀπὸ κοφούτητος εἶπε, *&c. & pro* ἐλεημοσύνης,

*scripsit*, ἐλέους, *& pro* εἰ δὲ ὡς ἀδικούμενος, *scripsit* εἰ δὲ ἐξ ἀκακίας, ἄξιός ἐστι συγχωρήσεως: *subdit scholium*, εἰ δὲ παρὰ τοὺς τρεῖς τρόπους τούτους, δι' ἄλλην αἰτίαν εἴρηκεν, ὑπομενέτω τὴν τιμωρίαν, τῇ δυνάμει τῶν παρ' αὐτοῦ λεχθέντων λόγων, ἀνάλογον πρὸς τὴν φλυαρίαν. *Sed apostolicus Canon indistinctè eum qui Principi maledixerit, anathemate ferit, quia in lege Mosis scriptum erat, Principi populi tui non maledices.*

Si ex leuitate, &c. *Sic Senec. de clementia lib.2. ait, Principis maiestatem maiorem quàm vt cuiusquam contumelia minui possit. & Sueton. in Iulio càp.75. ait, si qua cogitarentur aduersus se, aut dicerentur, inhibere maluit, quàm vindicare. Itaque & detectas coniurationes, conuentúsque nocturnos, non vltra arguit quàm vt edicto ostenderet esse sibi notas, & acerbè loquentibus satis habuit pro concione denunciare ne perseuerarent. Aulique Cecinæ criminosissimo libro, & Pitholai carminibus laceratam existimationem suam, ciuili animo tulit.*

*LEX*

LEX VIII. PAPI-
nianus libro 13. responsorum.

IN quæstionibus læsæ maiestatis etiã mulieres audiuntur. Coniurationem denique Sergij Catilinæ Iulia mulier detexit, & Marcum Tullium Consulem iudicium eius instruxit.

*COMMENTARIVS.*


Audiuntur, *Scilicet tam accusando quàm iudicando, & iudicium profitẽdo. Nam in subiecto exemplo iudicium fuit, non accusatio. nam Catilina absque accusatore hostis Rêipub. est iudicatus.*

Iulia, *sic & Græci legunt. Fuluiam tamen Salustius, Florus, & cæteri authores nominant, nec dubito quin ita hîc legendum sit. Hæc Fuluia mulier erat nobilis, sed stupro à Q. Curio Senatu moto maculata. Per eam Cicero effecit vt à concubino Curio,*

*vno ex coniuratis Catilinæ consilia disceret, & insidias quæ in caput suum parabantur: sed Curio à Senatu decretum præmium ob detectam coniurationem Cicero dari dissuasit: propterea quòd Cæsarem inter socios Catilinæ nominauerat. Sueton. in Iulio. cap. 17. Florus ita scribit: Fuluia vilissimum scortum, sed parricidij innocens, id est, perduellionis, vti initio monuimus.*

---

## LEX IX. HERMOGENIANUS lib. 5. Iuris Epitomarum.



ORVM, qui in maiestatis crimine damnati sunt, libertorum bona liberis damnatorum conseruari Diuus Seuerus decreuit, & tunc demum fisco vindicari, si nemo damnati liberorum existat.

### *COMMENTARIVS.*

Libertorum bona. *Atqui iuben-*

*tur*

*tur semper egere, vt vita illis sit pœna & supplicium. l. quisquis. C. eod. l. vltima. C. de bonis damnatorum. Obiici etiam potest. l. 1. C. de bonis libertorum. quæ ait Sabinianum quendam, qui patroni filius erat, hostem publicum fuisse iudicatum, & ideo bona libertorum paternorum eius ad fiscum fuisse delata. Scio Accursium, illum locum de perduellione, hunc de maiestate tantùm interpretari. Sed eius distinctioni aduersatur lex quarta Dig. de iure patronatus, quæ perduellionis meminit. idem tamen cum hac lege decidit. Itaque dicendum est hoc saltem illis miseris relinqui subsidium. quia non tam à patre, quàm lege Papia, vel edicto Prætoris habent hoc beneficium successionis, in bona libertorum paternorum, quæ illis etiam viuente patre debetur, vt & patri: ideo spem illorum iam quæsitam fiscus non eripit. Et quòd patribus non succedant, id in patris pœnam statuitur, vt heredibus careat, non in pœnam filiorum directè, qui nihil deliquerunt. ideo paternis libertis, vt qui nihil deliquerunt, nec ipsi, nec liberti rectè succedunt. Meritò au-*

*tem in d.l.1. C.de bonis libert. bona liberto-rum ablata sunt filio patroni, quia idem ipse erat qui in crimen hoc maiestatis seu perduellionis inciderat, non in vtroque crimine huic legi locum esse palam est.*

---

LEX X. IDEM LIB.
sexto Iuris epitomarum.

24.*species* AIESTATIS crimine accusari potest, cuius ope, consilio, dolo malo Prouincia vel ciuitas hostibus prodita est.

*COMMENTARIVS.*

*Græci huic legi addunt, siue ita scriptum fuerit in verioribus exemplaribus Digestorum, siue id aliunde assueuerint.*

25.*species* Qui muros violat, vel per eos, non per portam egreditur, vt hostis capitaliter

taliter punitur. *nam in l. vltim. suprà de rerum diuision. dum dicitur esse id hostile & abominandum, satis innuitur id esse crimen maiestatis: ea de re legenda quoque est l. 3. §. in bello. infrà de re militari.*

---

## LEX XI. VLPIANUS libro octauo disputationum.

IS QVI in reatu decedit, integri status decedit: extinguitur enim crimẽ mortalitate: nisi forte quis maiestatis reus fuit. Nam hoc crimine, nisi à successoribus purgetur, hereditas fisco vindicatur. Planè non quisque legis Iuliæ maiestatis reus est, in eadem conditione est, sed qui perduellionis reus est, hostili animo aduersus Rempublicam vel Principem animatus. Cæterum, si quis ex *Definitio*

alia causa legis Iuliæ maiestatis reus sit, morte crimine liberatur.

COMMENTARIVS.

*Quamuis in ciuilibus actionibus etiam ex maleficio descendentibus, puta iniuriarum, &c. litis contestatio faciat, vt actio transeat ad heredes, quæ aliâs non transisset. Instit. de perpetuis & temp. actionibus. §. pœnales, tamen in publicis Iudiciis ea regula non obtinet, sed prorsus contratia, Eum qui in reatu decedit, id est post accusationis & inscriptionis decursa solemnia, quæ quasi contestationis loco sunt, integri status decedere, id est, reatum eius morte extingui, &* * *iudicium criminale, nec hunc vlla capitis minutione minui. Ideóque nihil eorum quæ in reatu egit, irritum fieri, non testamentum,* non donationem,** non deniq; vllam aliam alienationem. l. aufertur. §. in reatu. infrà da iure fisci. Ratio hîc redditur: quia crimina morte extinguntur, vel vt initio dicitur, mortalitate, quia si ipsa mortalitas*

*l. si quis post accusationem. suprà de testamen.*

** *l. post contractũ. suprà de donationib.*

tas

*tas carnis humanæ sit sufficiens & fatalis omnium criminum luitio, quemadmodum & Apostolus ait, pœnam peccati mortem esse. Est & alia ratio, quia non ita per accusationem & litis contestationem hic fit nouatio, vt in ciuilibus actionibus, quibus suscipiendis, & contrahimus & nouamus. l. 3. §. idem scribit. suprà de peculio. l. delegare. l. aliam. suprà de nouationibus.*

*Sed ab illa regula excipitur crimen maiestatis, cuius criminis reus non integri sed suspensi status decedit, donec innocentia purgetur, ideóque interim fiscus hereditatem seruat. Plus additur in l. donationes. §. vlt. suprà de donationibus: & in l. pen. & vlt. C. eod. etiamsi non est in reatu, nec inter reos receptus, immò nec postulatus, nec accusatus, tamen hoc crimen etiam heredem tenere: quod non ita est accipiendum, vt etiam heres suo nomine aut hereditario damnari possit, aut pœna in corpus puniri, exilio, puta, vel morte, sed quia heredi bona auferuntur, nisi defuncti innocentiam purget. Nam à die sceleratissimi consilij cœpti retro*

*intelligitur fuisse seruus pœnæ, & sua mente nefaria punitus, vt dicitur l.vlt.C.eod. Idcirco, vt dixi: bona interim occupat fiscus, quamdiu incertum est, an purgetur defuncti innocentia, quo incerto pendente, heres extraneus adire non potest, nisi fortè sit filius emancipatus, cui de patris innocentia liquere poßit.l. Pannonius.suprà de acquir.hered. §.rei perduellionis. Nam ad suum heredem quod attinet, certum est ipso iure, & statim fieri suum, sed damnata postea defuncti memoria, suum esse desinere. Hanc enim sententiam vt veriorem sequitur Iustinianus, Instit.de hereditatibus ab intestato.§.per contrarium.*

*Non obstat l.ex iudiciorum.suprà de accusationibus. quasi dicere videatur etiam in criminibus, accusationes contestatas transire contra heredes, quia crimina quidem semper morte extinguuntur, sed publicatio bonorum etiam aduersus heredes perseueratur peti post contestationem, excipit autem maiestatis & repetundarum iudicium.*

Sed qui perduellionus reus est,

hostili

hostili animo aduersus Rempublicam vel Principem animatus. *Hæc definitio, est eius speciei criminis maiestatis quæ perduellio appellatur.*

Aduersus Rempub. vel Princip. *addendum vel Senatores, viros Illustres consiliarios, consistorianos, Principi militantes, ex l. quisquis. C. eod. vbi dicuntur esse pars corporis principis. Quintilia. lib. 5. cap. 10. & 28. iniuriam fecisti: sed quia magistratui, maiestatis actio est.*

Animatus. *Quia vt dicitur in l. quisquis. C. eod. sola cogitatio & voluntas sceleris pari seueritate, qua effectus punitur, cũ aliàs cogitationis pœnam nemo patiatur, præterquàm in quibusdam actionibus, vt adulterio, incestu. l. cogitationis. ff. de pœnis. l. prima. ff. de extraord. crimin. l. si quis non dicam. C. de Episcopis: plerumque enim in maleficiis voluntas spectatur non exitus. l. Diuus. ff. ad l. Corn. de sicariis.*

Hostili animo. *Quia hinc nomen huic crimini impositum est. Dicitur enim perduellio quasi hostilitas & alienatio, atque*

*defectio à republica & ciuitate, quia quem nos hostem dicimus, veteres perduellem dixerunt, teste Cicerone, libr. 1. de offic. & Caio l. quos nos hostes. ff. de verbor. significationib. vbi ait veteres, per hanc adiectionem significasse eos cum quibus bellum esset: quæ verba id dicere videntur, istam adiectionem* per *significare* cum, *vt sit* perduelles *quasi conduelles. Nam duellum tunc vocabant quod nos bellum, vt perficit, significat, conficit. Nam sic Varro etymologiam perduellium explicat lib. 6. de lingua latina, in illo Ennij versu:*

Quin inde inuictis sumpserunt perduellibus. *Vbi videtur perduellibus, esse quatuor tantum syllabarum, vt prius,* u, *pro consonante sumatur. Sed Charisius Sosipater libr. 2. Institutionum grammaticarum citans locum hodie desorditum in oratione Ciceronis pro Rabirio perduellionis reo, ait, adiectionem, per, significare augmentum, vt sit perduellis quasi plus qum duellis, plusquam hostis. Cicero verò ipse in eadem ratione videtur inde deducere,*

*re, quasi quod tempus belli sit factum, cum M. Horatius in sororem suam gladio vsus esset.*

Porro *sciendum est quæstionem perduellionis in persona M. Horatij initium sumpsisse, & per duumuiros à Tullo Rege creatos crudeliter fuisse exercitam, vt ait Cicero pro Rab. perduell. Liuius lib. 1. legem de hac quæstione ita conceptam fuisse ait: Duumuiri perduellionem iudicent, si à duumuiris prouocarit, prouocatione certato: si vincent, caput obnubito, infelici arbori reste suspendito, verberato, vel intra pomerium vel extra pomerium. Sed Horatius iste à duumuiris damnatus, cum ad populum prouocasset, absolutus est: quamuis ipse in publico sororem suam occidisset indamnatam, lædens eo facto maiestatem populi Romani. Ex quo apparet tum omnem speciem quæ ad legem Iuliam maiestatis refertur, perduellionem fuisse vocitatam. Nam hodie huiusmodi species refertur ad crimen maiestatis. non autem perduellionis. Regibus etiam exactis sub Consulibus agente republica,*

*Sp. Caßius Viscellinus hoc crimine damnatus est, ob regnum Romæ affectatum, & de saxo Tarpeio deiectus, æde eius publicè diruta, & bonis publicatis, sed liberi eius cùm etiam ad supplicium (more Græciæ) peterētur ad necem, à Senatu absoluti sunt. Sed & Sp. Melius & Manlius Capitolinus hoc crimine damnati. Furius etiam Camillus ob leues sanè suspiciones, quasi affectati regni dānatus est. Illi enim (vt ait Symmachus in epistolis) albentes quadrigæ, triste exilium peperere. Multi præter hos apud Liuium & cæteros hoc crimine vel damnati vel absoluti narrantur, quos omnes nominatim recensere vereor, nę tædio aut fastidio sit. Ad hoc etiam crimen referēda est lex Romuli de proditione, cuius meminit Alycarnasseus. Item lex varia proditionis, cuius meminit Plinius de viris illustribus, & Asconius Pedianus multis in locis.*

*A D*

# AD TIT. VIII. LIBRI IX. COD. QVI AD LEgem Iuliam Maiestatis inscribitur Ant. Contii prælectiones.

## *AD LEGEM IVLIAM Maiestatis. Tit. VIII.*

### LEX I. IMPERAtor Alexander Augustus Paulino.



TIAM ex aliis causis maiestatis crimina cessãt meo seculo, ne dum etiam admittam te paratum accusare Iudicem propterea crimine maiestatis, quòd contra con-

§ *Al. meã eum dicis pronunciasse.* ſtitutionem † noſtram dicis pronunciaſſe. PP. III. Idus April. Maximo II. & Iuliano Coſſ.

COMMENTARIVS.

*Lampridius in Alexan.* Meo ſeculo. *Alexander Seuerus à quibuſdam cognominatus, vulgò autem Alexander Mammeæ dictus, vita & moribus laudatißimus, & Vlpiani Paulíq; Iuriſconſultorum conſiliis ſemper vſus, non potuit non æquißimas leges ferre, cuiuſmodi ſunt duæ priores huius tituli conſtitutiones, quæ maximam eius animi moderationem teſtantur.*

Meo ſeculo. *Suum ſeculum ait, ſtatum quem ipſe rebus Romanis præſcripſit: ſectam ſuorum temporum. & l. 2. hic, ſectam ſuam appellat: id eſt publicam totius Reipub. diſciplinam & formam: Sic Traianus ad Plinium Secundum de Chriſtianis: Sine auctore (inquit) propoſiti libelli in nullo crimine locum habere debent: nam & peßimi exempli, nec noſtri ſeculi eſt. Inde qui tacitè Imperatori*

*ratori maledicere studebant, non ipsum palam aut disertis verbis accusabant, sed seculum sub quo viuebant, vt significant Imperatores suprà titulum l. 1. dicentes, scilicet, se malo seculo, seu malis annis natos, vel viuere sub pessima temporum secta. Quod autem ait, etiam ex aliis causis suo seculo maiestatis crimina cessare, non ita accipi oportet, quasi legem Iuliam penitus sustulerit, sed quòd leuiores causas & species quæ sub occasione principalis venerationis ad legem Iuliam trahebantur, reiecerit: quomodo etiam accipienda videntur Historicorum verba, cùm scribunt aliquem Imperatorem maiestatis crimina non admisisse, vt Spartianus de Adriano, & cæteri de cæteris, vt superiore titulo adnotauimus.*

Quod contra constitutionem nostram dicis pronunciasse. *Non tamen hoc impunè ei licet: nam si sciens dolo malo constitutiones Principum neglexerit, tenetur falsi. l. 1. §. sed & si Iudex, ff. ad l. Cornel. de falsis: Si verò etiam vt id faceret pecunias accepit, tenetur repetundarum. l. 3. ff. ad l.*

*Iuliam repetundarum : sed & ciuili actione tenetur, si sciens pronunciauerit, in veram litis æstimationem, quia & litem suam facit. l. filiusfamil. ff. de iudiciis : si ignorans, quantum Iudici æquum visum fuerit, quia & tunc litem suam facit. l. vltim. ff. de variis extraordinariis cognitionibus. Institut. de obligat. quæ quasi ex delicto. in princip. & vtroque casu sententia sine appellatione rescinditur. l. 2. C. quando prouocare non est necesse. l. 1. §. item cum contra. ff. quæ sententiæ sine appllatio. rescindun. vbi rectè definitur, quid sit contra constitutionem pronunciare. Accursius, nulla iuris adducta auctoritate, ait, & hoc casu Iudicem teneri stellionatus. quod non videtur admittendum, præsertim vbi dolus abfuit, quia tunc non est maleficium, sed quasi: & stellionatus non modò est maleficium, sed etiam crimen priuatum extraordinarium, innominatum, nec certam speciem habens.*

LEX

## LEX II. IDEM A. *Faustiniano.

*Al. Postumiano*

ALienam sectæ meæ sollicitudinem concepisti, quasi crimen maiestatis sustineres, si seruo tuo iratus esse non perseueres, quod semper te facturum inconsultè iuraueris.

### COMMENTARIVS.

Inconsultè. *id est, vt additur l.2. suprà de rebus creditis,* Quodam calore. *hoc enim subaudiri hîc oportere, Græci Interpretes rectè sentiunt: vt hoc casu periurium non puniatur sed ei conniueatur, quia satis Deum vltorem habet, & vt ait apud Tacitũ Tiberius pro eo qui accusabatur de periurio, violasse nomen Augusti, Deorum iniuriæ, Diis curæ. Extat autem eiusdem Alexandri ea-*

*dem de re simile rescriptum, sed aliis verbis. d. l. 2. §. de rebus creditis.*

Iurauerit. *Subaudi per salutem Principis, vt ad præsentem titulum hæc lex pertineat: & ita Græci subaudiunt.*

Obiicitur *l. si duo. §. vlt. ff. de iureiuran. vbi dicitur: Virgis seu fustibus cædi eum qui per genium Princip. peierauit, & ei superdici à præcone* ΠΡΟΠΕΤΩΣ ΜΗ ΟΜΝΥΕ *id est, perperam ne iures. Hîc verò dicitur satis Deum vltorem habere, & consequenter his periuriis Imperatorem cõniuere. Superdici autem est superclamari, & præ conis elogio palam, ita vt audiret plebs prædicari. Sic & Septimius Seuerus, cùm adhuc legatus esset Proconsulis Africæ, & eum præcedentibus fascibus, vt antiquum contubernalem quidam Plebeius amplexus esset, fustibus eum sub elogio præconis cæcidit;* Legatum P. R. Homo Plebeius temere amplecti noli. *auctor Spartianus in Sep. Seuero. Porro non est vis in eo constituenda, quòd hîc per salutem seu venerationem, illic per genium Principis peieratum sit: quamuis enim pluris fa-*

*cerent*

*cerent Romani per genium, quàm per ſalutem Principis iurare, quia genium neſcio quem dæmonem eius fingebant: & ideò Chriſtiani iurabant, ſicut non per Genios Cæſaris: ita per ſalutem eorum quæ eſt anguſtior omnibus geniis, & genios, id eſt, dæmonas adiurare ſolebant, vt illos de hominibus exigerent, non autem deierare, vt illis honorem diuinitatis conferrent, quamuis etiam citius per omnes Deos quàm per vnum genium Cæſaris peieraretur, tamen in Digeſtis nomen illud genij à Triboniano retentum eſt, ſiue per imprudentiam, ſiue quòd iam tum genium pro ſalute intelligi voluerit, nec inter illa vetus illud diſcrimen ſeruari voluerit. Sic igitur exiſtimo illum locum cum hac lege conciliandum, vt illic agatur de eo qui iurat aduerſario in iudicio, ſuper lite pecuniaria, & ita quaſi iurando contrahit: & meritò ſi peieret punitur, quia aduerſarium ſimul & Deum palam, & dolo malo fallit. Nam & ob hanc cauſam Aegyptij periurium capite multabant, quia & pietatem in Deum, & fidem inter homines tolleret, maximum ſocietatis humanæ vinculum. Diodorus li-*

Tertul. in apolog. c. 28. & ca. 32.

*bro primo. At hîc agitur de eo qui iurat extra iudicium, & iurando cum nemine præterquàm Deo contrahit, peierandóque neminem fraudat, sed ex duobus malis minus eligit. Nam cùm aut irasci debeat perseuerare, aut peierare, hoc quàm illud delictum leuius est, cũ iubeat Christus ne occidat sol super iracundia nostra: & rectè Isidorus dicat apud Gratianum. 22. quæstio. 4. capi. in malis: in malis promissis rescinde fidem: in turpi voto, muta decretum: quod incautè vouísti, ne facias: impia est promissio quæ scelere adimpletur: Tametsi in Concilio Hilerdensi in simili specie pœnitentia vnius anni, cum abstinentia communionis Christianæ imponatur, pœnæ nomine, ei qui ita peierat. capit. qui Sacramento. 22. quæstio. 4. Reprehendendus verò Caius Cæsar, cognomento Caligula, qui votum exegit ab eo qui pro salute sua gladiatoriam operam promiserat, spectauítque ferro dimicantem, nec dimisit nisi victorem, & post multas preces. Alterum etiam qui se periturum ea de causa vouerat, cunctantem pueris tradidit verberatum, infulatumque,*

Sueton. in Cali. cap. 17.

*qui*

*qui votum repoſcentes per vicos agerent, quoad præcipitaretur ex aggere.*

Similiter *ferè concilianda eſt cum hac lege l. ſi quis maior. ſuprà de tranſactionibus: vbi veniens contra tranſactionem iuratam per Deum, vel per Principem, infamia notatur, actione cadit, pœnam ſoluit, & data aduerſario reſtituit, niſi quòd illic extra iudicium quidem contraxit, atque idcirco mitius punitur, quàm fuſtibus, contrahendo tamen iurauit & tranſigendo, nec abſque fraude eius cum quo tranſegit peierare poteſt: at hîc de voto iniuſto agitur. Sed & ſi obiiciatur Nouella Vt non luxurientur contra naturam, nec iurent per capillos Dei, aut aliquid eiuſmodi, aut in Deum blaſphement, quod ſi faciant vltimo ſupplicio puniantur: dicendum erit, illic agi de Blaſphemia. Blaſphemia autem, eſt crimen periurio grauius, cùm ſcilicet quis iurat illicitum iuſiurandum. l. nec erit. D. de iureiuran. Nam cùm vnus & indiuiſus ſit Deus, ſed & Chriſtus, cuius ne carnifices quidem capillum aut membrum, aut etiam veſtem ſciderunt, impiiſſimè agunt,*

*qui per capillos, caput, ventrem, sanguinem, & cæteras partes vel membra Christi peierant: quod tamen crimen, inter nobiles, milites, nebulones, & omnem plebem grassatur. Vlpianus quidem & eius nomine Iustinianus, probat iusiurandum quo quis per caput suum iurat, sed capitis nomine salutem intelligi arbitror. Apud Homerum, Achilles iurat per Sceptrum, non per Iouem, veterum more: verùm sicut prouerbio dicitur casu repertum, instrumentum arma ministrat irato animo, ita ille ex prima quæ occurrit re iusiurandum concepit, vel vt vetus interpres ait, voluit sceptri nomine eum qui sceptro præsidet Iouem intelligere, sicuti cum in sacris literis per solium Salomonis iurabatur. Cæterùm Dio & cæteri auctores, Senatusconsulta facta fuisse aiunt, quibus censebatur per salutem Principum iurari, sed quidam ea admisere Principes, alij respuere: Nam Tiberius initio sui Principatus, neque per fortunam suam deierari voluit, & si quis peierasset, non animaduertit: sed & eos qui per salutem Augusti peierasse arguebantur, absoluit, quamuis postea multos hoc nomine*

Alpha. Iliados.

Diod. lib. 57.


*morte*

*morte multarit. Sed & Caium Caligulam supra diximus animaduertisse in illos qui per genium eius nunquam deierassent. Illud studiosè in capitularibus Caroli Magni obseruaui, districtè enim vetuisse, ne per salutem regis vel filiorum eius iuraretur: Itaque & ab illo inde tempore mos hîc in Gallia obseruatur, vt per Deum creatorem quis iureiurando adigatur per Iudicem, aut per sacra Euangelia, per Episcopos, Rectores, Cancellarios, Doctores vniuersitatum. His ita expositis, facillimum iam erit iura iuribus concordare hac de re prima fronte pugnare quibusdam existimata: vt & l. vltim. ff. de crimine stellionatus: & l. quod si deferente. ff. de dolo.*



## LEX III. IMPERATOR Constantinus. A. ad Maximum Præfectum vrbi.

Cod.Th. lib.9. tit. 5.lib.1.



I quis alicui maiestatis crimen intenderit, cùm in huiusmodi re conuictus, minimè quisquam priuilegio dignitatis alicuius, à * strictiori inquisitione defendatur, sciat se quoque tormentis esse subdendum: si aliis manifestis indiciis accusationem suam non potuerit comprobare, cum eo qui huius temeritatis reus esse deprehenditur. Illum quoque tormentis subdi oportet, cuius consilio atque instinctu ad accusationem accessisse videbitur, vt ab omnibus commissi conscíis statuta vindicta possit reportari. PP. Cal. Ianuar. Volusiano & Anniano Coss.

* Cod.Th. ad strictiore.

C O M-

Conuictus. *Non quidem plenè, alioquin statim damnaretur, sed imperfecta, & vt aiunt, semiplena probatione, id est probabilibus & verisimilibus argumentis: De argumentorum autem & signorum certitudine & verisimilitudine, nemo, meo quidem iudicio, rectiùs, aut exactiùs quicquam tradidit, quàm Aristoteles ipse in Rhetoricis, qui omnes, Doctorum & Canonistarum, & Felini ac cæterorum hac in re technas & distinctiones, proculdubio longè superauit, ad quem iudices recurrere debent, cùm sit hic proprius Rhetorum campus, magis quàm Iurisconsultorum: qui, vt Cicero in Topicis ait ad Oratores, solebant consultores suos & clientes remitere, si huiusmodi coniecturales causæ inciderent. Sed Accursij sententia ad hunc locum, quam mordicus sequuti sunt Bartholus, & tota Meoteoricorum schola, multos crudelirer afflixit præter æquum & bonum: cùm scribunt, vnius testis dictum inducere semiplenam probationem: quin & aliam regulam infert Bar-*

*tholus, non minùs periculosam. Quod licèt omnes leges loquantur in plurali, & dicant, præcedentibus indiciis, ita demum veniẽdum esse ad tormenta, tamen sufficiat vnum indicium: cùm sequi debuissent potiùs interpretationem Ioannis, qui lucerna iuris, non immeritò à veteribus, & ab omnibus modernis dictus est. & in l. maritus. ff. de quæstionibus, qua Accursij & Bartho. opiniones confutat, disertè adstruxit, vnius testis dictum, si nihil aliud argumenti concurrat, non inducere præsumptionem, quæ sufficiat ad tormentorũ adhibitionem, quod sanè per illam legem rectè probatur. Nam cognoscens ex appellatione, Imperator pronunciauit vnius testimonio nõ esse credendum: ideoq́; rectè pronunciatum. quid disertius scribi potuit? sed quid tam disertè scribi potest, quod non isti vbi aliquid animo penitus imbiberint, sursum deorsum vertant, & suam opinionem tueantur? Nam quod ex l. Theopompus. D. de dote prælegata, proferunt, nihil opinionem eorum iuuat: illic enim dixerat testator Polliano amico suo, cognitam esse mentem suam, & ei credi iusserat:*

Explicatio l. maritus. D. de quæst.

*eius itaq; voluntas pro lege habetur. Nouell. 22. de nuptiis. §. disponat, perperam aiunt non ideò rescissam sententiam, quia dicto vnius erat creditum, sed quia & ancilla in proprium dominum torta erat, & liberti filius testimonium dixerat, cuius pro patrono testimonium debet esse suspectũ, quia disertè ideò rectè prouocatum ait Imperator, quia vnius testimonio non sit credendum, nec specialiter addit, quia liberti filio non sit credendum pro patrono patris: & alienam ancillam fuisse disertè in textu proponitur, si rectè dispungatur, ita scilicet, nec solere à quæstionibus incipi, & si aliena esset ancilla. Dicet aliquis, ergo nunquam ad tormenta peruenietur: nam vnus testis rem asserit, aut duo, plurésve. Si vnus, non est ad quæstionem veniendum vt ais, si duo vel plures, damnandus est reus ad pœnam, non ad quæstionem. Sed respondendum est rectè vt Græci notarunt ad illum locum, tunc dictum vnius testis admitti, quando prestò sunt alia probabilia argumenta. Quòd autem nec in ciuilibus actionibus, dictum vnius testis faciat semiplenam probationem, docet l. iuris-*

*iurandi. C. de testibus: quia vox vnius, vox nullius: ergo nec semiplena probatio est, quia nulla omnino probatio est: estq́; paralogismus hic falsus: vox duorum est plena probatio, ergo vox vnius est semiplena: quia veritas est indiuisa, & quod non est plenè verum, non est semiplenè verum, sed plenè falsum. Similiter etiam ex his falsis theoriis falsam interpretationem commenti sunt iidem interpretes ad l. admonendi, ff. de iureiurando, quos pluribus refutauit Duarenus lib. 2. disputationum. cap. 33.*

Sciat se quoque tormentis esse subdendum. *Et postea:* Illum quoque tormentis subdi oportet, cuius consilio atque instinctu, &c. *Notant Graci singulare esse in hoc crimine.*

LEX





LEX. IIII. IMPERATORES Valentinianus, Valens & Gratianus Augusti, ad Olibrium Præf. vrbi.



NVLLVS omnino cui inconsultis ac nescientibus nobis fidicularum tormenta inferuntur, militiæ vel generis aut dignitatis defensione, vti prohibeatur; excepta tantùm maiestatis causa, in qua sola omnibus æqua conditio est. Dat. VIII. Id. Iul. Valentiniano Nobil. Puero & Victore Consul. *C. Theod. de quæst. lib. I.*

*COMMENTARIVS.*

Fidicularum tormenta: *Qualefuerit*

*hoc tormentũ, non abs re quærendum est, cùm ex hoc & aliis locis constet hoc fuisse ordinariũ genus tormentorum, ad eruendam veritatem receptum. Accursius nihil aliud adfert, quàm esse tormenta subtilium chordularum, quia vt fides seu fidis (sic enim scribendum & legendum) chordam, ita fidicula chordulam significat, & fidicula numero singulari, paruam lyram, fidiculæ verò pluratiuo, genus tormenti significant. Sed Græca metaphrasis, pro fidicularum tormentis, vertit vnguium pœnam. Debuit autem latinus interpres vertere vngularum pœnam, quam tamen Græci scholiastæ non satis cognitam habuerunt, scribentes quosdam dicere vngulas esse ferramenta, quibus inserantur condemnati, alios verò esse calamos acutos vnguibus insertos, ita vt peruadant integros. Sed Isidor. lib. 5. etym. c. 27. totam rem rectissimè (vt mihi videtur) explicat.* Vngulæ *dictæ, inquit, quòd effodiant. hæ & fidiculæ. quia his rei in equuleo torquentur, vt fides inueniatur: equuleus autem dictus quod extendat. Ex quibus verbis intelligimus Græcos rectè pro fidiculis vngulas*

*Idem ait Papias in Verbo Vngulæ.*

*tran-*

*transtulisse, cùm eandem rem vtrumque verbum significet, & vulgatum genus Roma. tormenti in quæstio. S. August. in tract. in psal. de reo criminali loquens: priusquam confiteatur, inquit, illum exarat vngula tortoris, vbi confessus fuerit, eum occidit gladius carnificis. Sueto. in Caio Calig. c. 33. ait eum dicere solitū, exquisiturum se semel de Cæsonia sua cur tantopere diligeret. Idem in Tiberio, excogitauerunt inter genera cruciatus, vt repente veretris diligatis fidicularum simul vrinæq; tormento distenderet. Papias etiam in dictionario sic definit: Fidiculæ sunt vngulæ, quibus torquentur in eculeo appensi, vt fides inueniatur. Prudentius Peristephanum hymno primo.*

*De fide, illa virgas & secures & bisulcas vngulas, vltro fortis expectabat, Christi amore interrita.*

Idem hymno 3. in Eulaliam.

*Nec mora carnifices gemini iuncea pectora dilacerant,*
*Et latus vngula virgineum pulsat vtrumque, & ad ossa secat.*
*Eulalia numerante notas: scriberis ecce mihi domine,*
*Quàm iuuat has apices legere, quia tua Christe trophæa notant,*
*Nomē & ipsa sacrū loquitur, purpura sanguinis illiciti.*

Deinde.

*Vltima carnificina de hinc: non lacerato vulnifica, cratetenus.*
*Nec arrata culis. flamma sed vndique lampadibus in latera stomacumque furit.*

Et in hym. 4.

*Viuis ac pœna seriem retexis,*
*Carnis & cæsæ spolium retentans*
*Tetra quàm sulcos habeant amaros,*
*Vulnera narras.*
*Barbarus tortor latus omne carpsit,*
*Sanguis impensus lacerata membra,*
*Pectus abscissa patuit papilla,*
*Corde sub ipso.*

*Et hymno 5. de S. Vincentio, vbi præfectus tortores alloquitur. Vinctum retortis brachiis sursum ac deorsum extendite, compago donec ossium diuulsa paulatim crepet. Post hinc hiulcis ictibus nudate costarum abdita, vt per lacunas vulnerum iecur retectum palpitet. Ridebat hæc miles dei, manus cruentas increpans, quòd fixa non profundiùs intraret artus vngula. Et postea. Hæc fatur & stridentibus laniatur vncis denuo: cui prætor ore subdolo anguina verba exsibilat. Et in Roma. hym. Sponte nudas offeres costas bisulcis execandas vngulis. Et in Hipp. Vngula*

*gula fixa cauis costarum cratibus altos, Pandêre secessus & lacerare iecur. Et postea, Iam tortor ab vno desine, si vana est quæstio, morte agito: Huic abscinde caput. Et postea, ergo sit Hippolitus, quatiat, turbetq; iugales &c. Et in Romano. nec distat ignis an fidiculæ sæuiant &c. Et postea: vertat ictum carnifex in os loquentis, inq; maxillas manum, sulcosq; acutos & fidiculas transferat deinde, implet iubentis dicta lictor improbus, charassat ambas vngulis scribentibus genas, cruentis & secat faciem notis. Hirsuta barbis soluitur carptim cutis, & mentum adusque vultus omnis scinditur. Item scindunt vtrumq; milites teterrimi mucrone hiulco pensilis latus viri. Sulcant per artus longa tractim vulnera, obliqua rectis, recta transuersis secant, & iam retectis pectus albet ossibus. Et postea, hæc inter, addit. Romanus loqui, si quæris, ô præfecte, verum noscere, hoc omne quicquid lancinamur non dolet: Dolet quòd error pectori insidet tuò. Item in hymno quem canit Ecclesia in natalitiis plurimorum martyrũ, cuius initiũ,* Sãctorum meritis inclita gaudia:

*Hi pro te furias, atque ferocia.*
*Calcarunt omnium sauaque verbera,*
*Cessit his lacerans, fortiter vngula,*
*Nec carpsit penetralia.*

Et in hymno eiusdem diei. AETERNA Christi munera.

*Traduntur igni martyres & bestiarum dentibus,*
*Armata saeuit vngulis, tortoris insani manus.*

*Ex superioribus etiam locis vno aut altero liquet ignem & lampades ardentes tormenti vice, etiam post fidiculas adhibitas fuisse, qui mos torquendi erat apud Macedones & hoc genere tortum Philotam.*

Militiæ vel generis aut dignitatis defensione. *Ob has enim tres causas datur aduersus fidiculas defensio.*

*Demonstrat Q. Curtius. lib. sexto.*

Militiæ *Milites, & filij militum non torquendi, nec veteranorum, nisi milites sint ignominiosè missi. l. milites. infrà de quaestionibus. vel nisi ad hostem miles confugerit. l. 3. §. 1. ff. de re militari.*

Generis. *Senatores enim & eorũ filij & filiæ, & eminentissimi atque perfectissimi eorumq; filij vsque ad pronepotem, & ipsum scilicet, non torquentur, modò intermedia persona a-*

*na aliqua non ſit infamis. l. Diuus. ff. de quæſtionibus.*

Aut dignitatis. *generaliter omnes perſonæ, dignitate aliqua prædita, aut honore aliquo publico vel magiſtratu, & omnes publicæ perſonæ non torquētur, quia quæſt. in ſolis perſonis plebeis exercetur. l. Seueram. infrà de dignitatibus lib. 12. l. pen. infrà de quæſtionibus.*

*Item decuriones & filij eorum, & qui munera decurionatus depoſuerunt, omnino ſunt exortes tormentorum per fidiculas. l. antepen. infrà de quæſtionibus, quæ ſumpta eſt ex Cod. Theod. eod. tit. li. 2. cuius tamen poſterior pars non eſt in noſtrum codicem relata, quæ hæc habebat:*

Habet ſeueritas multa quæ ſumat ad ſanciendam publici officij diſciplinam, vt abſtineant tam cruentis. Plumbatarum verò ictus, quos in ingenuis corporibus non probamus, non ab omni ordine ſubmouemus, ſed decemprimos tantùm ordinis curiales ab immunitate huiuſmodi verberum ſegregamus, ita vt in cæteris animaduerſionis

*Plumbatarum ictus.*

iſtius habeatur moderatio commonẽtis. *Sed fuſtibus eos caſtigari prohibitum eſt l.5.ſuprà de cauſis ex quibus infamia irrogatur. vt nec alios honeſtos. l. capitalium. §. & vt generaliter. ff. de pœnis. ſed ne corporis vllus cruciatus. l. 4. & l. 33. omnes. infrà de decurionibus, quæ illam legis partem de ictibus plũbatarum videntur tollere, præſertim cùm eadem lex in Codice Theodoſiano poſita, plumbatarum tantùm ictus nominatim à corpore decurionum remoueat. Illam tamen particulam legis olim in vſu fuiſſe demonſtrat Prudentius, in hymno de P. Romano martyre. Aſclepiades iuſſerat euiſcerandum corpus eculeo eminus pendêre, & vncis vnguliſq́; creſcere. Apparitores ſed furenti ſuggerunt, illum vetuſta nobilem proſapia, meritiſq́; multis eſſe primum ciuium.* Iubet amoueri noxialem ſtipitem, plebeia clarum pena ne damnet virum. Tundatur, inquit, tergum crebris ictibus, Plumboq́; ceruix verberata extuberet, perſona quæq; competenter plectitur, magnique refert vilis, an ſit nobilis, gradu reorum, for-

forma tormentis datur. Pulſatus ergo martyr illa grandine, poſtquam interi-ctus dixit hymnum plumbeos. Erectus (inſit) abſit, vt me nobilem ſanguis parentum præſtet, aut lex Curiæ: Generoſa Chriſti ſecta nobilitat viros, & poſtea honos, deinde ſtemmati accedit nouus & ſplendor ingens, vt magiſtratus venit. Si confitenti nominis teſtem probum ſignent inuſta ferri & ignis vulnera, & vim dolorum mors ſequatur inclyta. &c. Narrat deinde, vt vngulis ipſo poſcente ſit exoratus. Ex quibus omnibus hymnis, & martyrum paſsionibus, conſtat veriſsimum eſſe quod ait Tertulianus in apologetico, Chriſtianos confitentes primùm contra iuris ordinem tortos fuiſſe, vt negarēt: deinde confiteri perſeuerantes, vel gladio ſecundum mandata, vel flammis & igne pro magiſtratuum furore fuiſſe conſumptos, vel beſtiis vel crudelioribus pœnis. Verba eius ſunt ad Scapulam: quid enim amplius tibi mandatur, quā

docentes confessos damnare, negantes autem de tormento reuocare? Videtis ergo quomodo ipsi vos contra mandata faciatis, vt confessos negare cogatis, adeo confitemini innocentes esse nos, quod damnare statim ex confessione non vultis. Si autem contenditis ad elidendos nos, iam ergo innocentiam expugnatis. Et in apologetico c.2. post multa in hanc sententiam vociferatur homo, Christianus sum: *Quod est, dicit, tu vis audire, quod non est veritatis extorquendæ præsides, de nobis solis mendacium elaboratis audire. Et postea, nisi enim fallor, leges malos erui iubent, non abscondi, confessos dãnari præscribunt, non absolui, hoc senatusconsulta, hoc principum mandata definiunt. &c. apud tyrannos enim tormenta etiam pro pœna adhibentur, apud vos, soli quæstioni temperatur. Ex his quæ dicta sunt constat quid sint fidiculæ, vngula, vncus, equuleus, plumbatæ, seu plumbatarum ictus. Catastæ autem seu catasta pro equuleo vsurpari apud Prudentium, prudens & diligens lector animaduertet.*

*uertet. Erat & alius modus adhibendæ quæstionis per eam quæ dicitur mala mansio. l. itē apud. §. quæstionis .ff. de Iniuriis. eam Græci interpretantur, pedum in lignū iniectionem, perperam quidam catastam, quam pro equuleo accipi apud Prudentium dictum est. Liber homo olim in se torquebatur pro testimonio vacillante, si erat vilis persona, hodie fustibus vel verberibus fit hæc quæstio non fidiculis. Nouell. 90. Impuberes cum in se torquentur, habena, id est scutica seu tergore anguillæ, aut ferula cæduntur. l. 1. §. Impuberi. ff. ad Silanian. Plu. li. 9. c. 29. Isid. li. 5. Etymol. c. 27. nec excōmunicantur, quia hæc maior pœna est.*

## LEX V. IMPERATORES Arcadius & Honorius Augusti Eutychiano Præfecto Prætorio.

QVISQVIS cum militibus vel priuatis, barbaris etiam scelestam inierit factionem, aut factionis

ipſius ſuſceperit ſacramentum, vel dederit de nece etiam virorum illuſtrium, qui conſiliis & conſiſtorio noſtro interſunt, ſenatorum etiam, nam & ipſi pars corporis noſtri ſunt, vel cuiuſlibet poſtremo qui nobis militat, cogitarit: eadem enim ſeueritate voluntatem ſceleris, qua effectum, puniri iura voluerũt: ipſe quidem vtpote maieſtatis reus gladio feriatur, bonis eius omnibus fiſco noſtro addictis.

*Cap. II.* * *Filij* verò eius, quibus vitam Imperatoria ſpecialiter lenitate concedimus (paterno enim deberent perire ſupplicio in quibus paterni hoc eſt hereditarij criminis exempla metuentur) à materna vel auita, omnium etiam proximorum hereditate ac ſucceſsione habeantur alieni, * teſtamentis extraneorũ nihil capiant, ſint perpetuò egentes & pauperes, infamia eos paterna ſemper comitetur, * ad nullos * vnquam honores, ad nulla prorſus ſacramenta perueniant, ſint poſtremò tales, vt his perpetua

*Sic in Cod. Th. & manuſ.*

*Al. prorſus.*

*Sic in manuſ. & Cod. Th.*

tua egeſtate ſordentibus ſit & mors ſolatio & vita ſupplicio.

**Denique*, Iubemus etiam eos eſſe notabiles ſine venia, qui pro talibus vnquam apud nos interuenire tentauerint. Cap. III. *

* *Ad* filias ſanè eorum quolibet numero fuerint, Falcidiam tantùm ex bonis matris ſiue teſtata ſiue inteſtata deceſſerit, * volumus peruenire, vt habeant mediocrem * potius filiæ alimoniam quàm integrum emolumentum ac nomen heredis. Mitior enim circa eas debet eſſe ſententia, quas pro infirmitate ſexus minus auſuras eſſe confidimus. Cap. IIII. Cod. Th. defecerit: & in manuſcrip. * In Cod. Th. pro hoc verbo, erat ingrata.

**Emancipatio* quæ à prædictis ſiue in filios poſt legem dumtaxat latam ſiue in filias fuerit, conlata, non valeat. Cap. V.

* *Dotes* donationes, quarumlibet poſtremo rerum alienationes quas ex eo tempore qualibet fraude vel iure factas eſſe conſtiterit, quò primum memorati de incunda factione ac ſocieta- Cap. VI.

te cogitauerint, nullius ſtatuimus eſſe momenti.

Cap. VII. * *Vxores* ſanè prædictorum (recuperata dote) ſi in ea conditione fuerint, vt ea quæ à viris titulo donationis acceperint, filiis debeant reſeruare, tempore quo vſusfructus abſumitur, omnia fiſco noſtro ſe relicturas eſſe cognoſcãt, quæ iuxta legem filiis debebantur, Falcidia etiam ex his rebus filiabus tantùm, non etiam filiis deputata.

Ca. VIII. * *Id* quod de prædictis eorumque filiis cauimus, etiam de ſatellitibus conſciis ac miniſtris filiiſque eorum, ſimili ſeueritate cenſemus.

* *Sanè* ſi quis ex his in exordio initæ factionis ſtudio veræ laudis accenſus ipſe prodiderit factionem, & præmio à nobis & honore donabitur. Is verò qui vſus fuerit factione, ſi vel ſerò, tamẽ incognita adhuc conſiliorum arcana patefecerit: abſolutione tantùm ac venia dignus habebitur. Dat. prid. Non. Septẽb. Ancyrę. Cæſario & Attico Coss.

*COM-*

## COMMENTARIVS.

Hæc *lex tractat de ea ſpecie criminis maieſtatis quæ appellatur perduellio. ſumpta eſt ex Cod. Theod. titulo ad l. Corneliam de ſicariis. ſed rectiùs Tribonianus collocauit ſub hoc titulo, cum nominatim hîc dicatur maieſtatis reum eſſe qui talia deliquerit. Sed forte Theodoſij ſeculo crimina maieſtatis, legis Iuliæ ſpecie non ſunt exercita. Diuerſitas illa titulorum Balduinum in errorem traxit, vt negaret hanc conſtitutionem extare in Theodoſiano. quid autem ſit perduellio abundè ad l. vlt. ff. eo. dictum eſt. extat hæc lex & apud Gratianum. 6. q. 1. c. ſi quis.*

## QVAE VIDEATVR fuiſſe occaſio huius legis ferendæ.

Cum *ſcripta eſt hæc conſtitutio, vix annus à morte Theodoſij magni præterierat, & erat tum recens Gildonianæ factionis memoria. Hic Gildo cognita morte Theodoſij, Afri-*

*cam, cui comes praeerat, sibi vindicare cœpit, & in ditionem suam redigere, spernens vt fere sit, puerorum principum pueritiam, ratus in tam imbecillli ætate minimam spem fore. Sed initio factionis tam temerariæ, à Stilicone oppressus est & interfectus, prouincia Africa in pristinam formam iussu Augustorum reformata, Gildonis vniuerso patrimonio in fiscum delato, cui etiam regendo, proprius comes præpositus fuit, qui in notitia imperij, & Codice Theodosiano comes Gildoniani patrimonij appellatur, sub dispositione comitis rerum priuatarum. Cùm autem restarent, vt probabile est tam sceleste coniurationis reliquiæ, lata est hæc lex, consilio Rufini & Stiliconis, quos teneræ ætatis principibus testamento tutores dederat Theodosius. Verùm & hi sceleratissimi tutores in idem postea crimen impegêre. Nam Rufinus Arcadij Constantinopoli imperãtis tutor, aduersus suum Principem, Alaricum Gotthorum regem, excitauit eo consilio, vt rebus turbulentis, & maius præsidium poscentibus, ipse vltrò ad Orientis imperium communibus votis expelleretur.*

*Sti-*

*Stilico Honorij, qui in seniore Roma imperabat, tutor, vt tyrannidem filio suo Euchario prępararet, Sueuos, Vvandalos, Alemannos ad inferendum suo Imperatori bellum sollicitauit. Sed ambo detectis insidiis & pessimis factionibus, damnati, Stilico Romæ in foro pacis gladio percussus est: Rufini caput, cum dextra manu, ante vrbis Constantinopolitanæ portam fixum atq; erectum est. Auctores harum rerum sunt Orosius lib.7.cap.37.& 38. & cæteri historici. Cur tantas insidias passus sit Arcadius, scrutari meum non est. Docent nos sacræ pariter & profanæ literæ, malum consilium ipsi plerumq; consultori esse pessimum. Et quia Arcadius in necem sanctissimi sui præceptoris Arsenij, à quo meritis flagris castigatus fuerat vnum ex suis spathariis submiserat, permisit fortè Deus vt in ipsum postea Imperatorem factum ipsimet eius spatharij, pædagogi & tutores conspirarent. Qui plura de hac re desiderabit, sumat in manus vitam S. Arsenij Anachoretæ à Symeone methaphraste Græco elegantissimè conscriptam. Sed & hanc causam frequentissimam esse re-*

*perimus, quod Principes aulicos ſuos, ac vniuerſales præfectos nimiis opibus implent, & euehunt. Quod cum accidit, Oſtraceſmo interdum ad Athenienſium exemplum vel Pataliſmo ad Siculorum eos vti ſatius eſſet.*

## AD PRIMVM CAPVT Conſtitutionis.

SCELESTAM inierit factionem. *Recte ſubaudiunt veteres & interlineares gloſſulæ, centra principem. Nam per emphaſin hæc verba, ſceleſtam factionem principis perſonam adpeti ſignificant: ſequentia autem verba ad Senatores & alias perſonas pertinent.*

Suſceperit ſacramentum vel dederit. *Nam & ab eo ſacramento, huiuſmodi conſpirationes & factiones appellantur coniurationes, quia auctor coniurationis populares ſceleris ad*

*ris ad iusiurandum addicebat, & postea consilium suum aperiebat. Vt de coniuratione Catilinæ narrat Sallustius. vbi etiam à quibusdam dici narrat sanguinem humanum vino permixtum fuisse in pateris circumlatum, & sicut in solemnibus sacris fieri solet, degustatū. Q. Curtius lib. 6. de Dymni & cæterorum in Alexandrum coniuratione agens, ait ipsum Dymnum cùm exoleto suo Nichomaco rem cōmunicare vellet, ipsum Nichomacum in templum duxisse, & per præsentes Deos eum ad iurandum rogasse. qui tamen cum iurasset, negauit se in parricidio fidem dedisse.*

De nece etiam virorum illustrium. *Huius generis conspiratio facta fuit sub Alexandro Imperatore de nece Vlpiani præfecti prætorio. ex qua conspiratione vnus ex primis Epagatus, ne si de eo Romæ supplicium sumeretur, tumultus oriretur, in Cretam reductus ex AEgypto condemnatus est.*

Eadem enim seueritate voluntatem sceleris, qua effectum puniri iura voluerunt. *In grauioribus quoque criminibus idem receptum, vt in adulterio, & incesto. l.*

*1. de extraord. crim. le. si quis non dicat. C. de Episcopis, & cl. l. præsenti. suprà de his qui ad eccles. conf. & in l. Diuus. ff. ad l. Cor. de sicariis dicitur : in maleficiis voluntas spectatur non exitus , cum aliâs nemo cogitationis pœnam patiatur. l. cogitationis. ff. de pœnis. Et non obest conatus, cum iniuria nullum habuit effectum. l. 1. ff. quod quisque iuris. Circa hanc sententiam huiusmodi diuisionem faciunt veteres iuris vtriusque interpretes:*

*Punitur* {

- *Sola voluntas. vt hîc & 27. q. 1. nuptiarum.*
- *Sola attentatio. l. si quis. C. de Episcopis. 36. q. 2. si quis solus visus. extra qui filii sint legit. c. vlt.*
- *Solus conatus. 14. q. quoniam multi.*
- *Sola expectatiò. 14. q. 4. si fœneraueris.*
- *Sola cogitatio. di. 47. quoniã multi. l. præsenti. suprà de his qui ad eccles. confug.*

*Sola*

*Sola intentio. de pœnitẽtia dist. 1. si quis cum telo. l. qui cum telo. ꝫ. ad l. Corn. de sica. l. 1. ff. ad l. Pompeiam de parrici.*
*Sola aggressio. de pœnitent. dist. 1. si quis necandi.*
*Solus ausus. de pœniten. dist. 1. si quis pulsatus.*
*Sola sollicitatio. 27. q. 1. si quis raptu.*
*Sola persuasio. l. si quis seruo. ꝫ. de furtis, & de seruo corrupto.*

Bonis eius fisco nostro addictis. *Non est id correctum per Nouellam 134. vt nulli iudicum liceat habere loci seruatorem. §. vlt. qua damnatorum ex aliis criminibus bona vult ad descendentes venire, vel his deficientibus ad ascendentes vsq; ad tertium gradum: & his deficientibus, ad fiscum. sed illic nominatim excipit crimen* καθοσιώσεως, *id est, maiestatis, vt rectè vertit vetus interpres. Haloander verò vertit* perduellionis. *Vnde quari posset, an de omni specie criminis ma-*

*iestatis id exceptum intelligi debeat, an verò de ea sola quæ in perduellionis crimen cadit. quod verius est; de omni specie intelligendum, cùm Iustinianus dicat in crimine maiestatis (generali cum verbo vtitur) veteres mansuras leges. itaq. liquet Haloandrum non tam fideliter Nouellas interpretatũ esse, quàm veterem interpretem.*

Gladio feriatur. *Nec cadauer eius, cognatis, quamuis petentibus, sepeliendum datur. l. 1. ff. de cadauer. punitorum, quod ex legibus Atheniensium sumptum videtur, quæ non permittebant* τὸν φεύγοντα ἐπὶ προδοσίᾳ θάπτειν ἐν τῇ Ἀττικῇ. *auctore Thucydide, qui idcirco ossa Themistoclis illo crimine damnati ait, clam in Attica ab eius amicis sepulta. Idem ex eodem refert Probus in Themistocle. Sed & hoc crimine damnatorum ædes diruebantur. testibus Cicerone, Varrone, Plinio, Liuio: quod hodie nostro iure non arbitror obseruari, cùm id nusquam in nostris libris cautum legatur.*

# AD SECVNDVM CAput constitutionis. De Filiis.



PATERNO enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est hereditarij criminis exempla metuantur. *Ammianus Marcellinus narrat libr. 28. Maratocuprenos, pessimos grassatores sub Valentiniano oppressos, interiisse ad vnum omnes, eorumq́ sobolem paruam etiam idem, ne ad parẽtum exempla subcresceret, pari sorte delatam esse, lateq́ euersos quos ambitiosè luctuosis aliorũ dispendiis extruxerant. Falsò Budæus hoc caput sublatum esse ait per eorundem principum constitutionem, sequente, vt ille putat, vt ego computo, secundo anno latam. l. sancimus. infrà de pœnis. Nam nec illa de crimine maiestatis lata est, nec filios supplicio eximit, aut pœnæ hîc expressæ, sed propinquos duntaxat, & affines, notos, familiares qui nullam pœnam aut bonorum ademptionem ne in hoc quidẽ crimine patiun-*

*tur. Et quamuis illa constitutio generaliter definiat, vt peccata suos teneant auctores, & ibi sit pœna, vbi & noxia, tamen generi per speciem derogari ius est, & speciale est in hoc crimine, vt sit quodammodo hæreditariũ & transmissorium ad hæredes. quod in omnibus regnis & politiis, atque etiam hoc nostro regno nimio nostro malo pridem docti sumus: & constat paucos filios virtutum esse hæredes paternarum, nimium multos vitiorum, & quanquam hæc ita sunt, speciali tamẽ lenitate vitam eis concedit Arcadius. Et quid attinet sequente aut altero anno correctam legem dicere, cum triginta fere post annis, iterum formata sit l. vlt. infrà de bonis proscriptorũ, Excepta (inquit) sola maiestatis quæstione, quam si quis sacrilego animo sumpserit, iustè pœnam ad suos etiam posteros transmittet. Fuit autem lex vetus Macedonum vt propinqui eorum, qui regi insidiati essent, cum ipsis necarentur. Quam legem veriti propinqui Philotæ Parmenionis filii, posteaquam de ipso Philota quæstionem haberi fama vulgauerat, partim se interficiebant, partim in deuios mõ-*

*tes & vastas solitudines fugiebant, donec Rex Alexander, tumultu audito, legem se propinquis remittere edixit, vt auctor est Q. Curtius lib. 6. quod etiam ipse Alexander ita commemorat apud eundem actorem lib. 7. Sed olim istum morem (inquit) occidendi, cum scelestis, insontes, propinquos, parentesq́; solui. Sic & Senatus Romanus cum Spurio Cassio & saxo Tarpeio ob hoc crimen deiecto, de liberis eius interficiendis ageret eos liberauit, iniquum esse ratus, parentum noxa innoxios premi. Qua de re disputans tamen Dionysius, ait apud plerasq́; Græciæ ciuitates obseruatum fuisse, vt ex tyrannis nati aut cum patribus necarentur, aut in exilium mitterentur perpetuum. Cicero lib. epist. ad Brutum epistola 12. ita scribit. Itaque cum rogamur vt misericordiam liberis eius (*Lepidi scilicet*) impertiamur, nihil affertur, quominus sũma supplicia, si, quod Iuppiter omen auertat, pater puerorum vicerit, subeunda nobis sint. Nec verò me fugit quàm sit acerbum parentum scelera, filiorum pœnis lui. Sed hoc præclarè legibus comparatum est, vt charitas liberorum, amiciores parentes*

Liuius li. 2. ab Vrbe. Dionys. Halic. lib. 8.

*reip. redderet. Itaq. Lep. crudelis in liberos, non is qui Lep. hostem iudicat. Atque ille si armis positis, de vi damnatus esset, quo in iudicio certè defensionem non haberet, eandem calamitatē subirēt liberi bonis publicatis: quanquam quod tua mater & soror deprecatur pro pueris, id ipsum & multa alia crudeliora nobis omnibus, Lepidus, Antonius & reliqui hostes denunciant. Ex quibus Ciceronis verbis intelligimus, vel legem 12. tabularum, vel aliam legem publicorum iudiciorum, voluisse liberos pœnam etiam parentum sustinere. Sed ad ea Brutus, Lepidi liberorum auunculus, cōtendit se pro meritis in remp. non minus vt auunculū ad eripiendos pœnæ Lepidi liberos, auctoritatis habere debere, quàm patrē Lepidum ad eos in eandem secum pœnam trahendos. Neque verò mirum videri debet tam pertinacem in ea sententia fuisse Ciceronem, cùm & is Consul orationem de liberis proscriptorum (quæ hodie non extat) habuerit, qua liberos eorū qui à Sylla manifesto reip. hoste proscripti fuerant, dissuadet ad bona & honores restitui. Quod vtinam exemplum, supe-*

*riori-*

*rioribus annis in non reuocandis proscriptis & damnatis, & pœnæ refugis, & ad hostes transfugis, fuisset retentum. Cessisse tamen Ciceronem Bruti precibus, ex alia eiusdem epistolarum libri ad Brutum Epistola decimaquinta manifestum fit. Dixi (inquit) sententias in Antonium, dixi in Lepidum seueras, neque tam vlciscendi causa, quàm vt & in præsens sceleratos ciues, timore ab impugnanda patria deterrerem, & in posterum documentum statuerem, ne quis talem amentiam vellet imitari. Quanquam hæc quidem sententia non magis mea fuit, quàm omnium: in qua videtur illud esse crudele, quod ad liberos qui nihil meruerunt, pœna peruenit. Sed id & antiquum est & omnium ciuitatum: siquidem etiam Themistoclis liberi eguerunt. (Nam proditionis absens damnatus fuerat, vt ait, Probus in Themistocle, sed liberorum eius non meminit: Plutarchus ait Epicratem ad eum absentem vxorem & filios clam misisse. Sed & ex eius bonis permulta in Asiam, clam per amicos fuisse exportata.*

*Quæ verò prolata fuerunt & reperta , fuisse publicata ad centum ferè talenta. ) Et si iudicio damnatos eadem pœna sequitur ciues, qui potuimus leniores esse in hostes ? & postea Sororis tuæ filiis * quàm diligenter consulam, spero te ex matris & ex sororis liberis cogniturum , qua in causa maiorem habeo rationem tuæ voluntatis, quæ mihi carissima est , quàm vt quibusdam videor, constantiæ meæ. Sed ego nulla in re, malo, quàm in te amando, constans esse videri. Sed Tib. imperante vetus ille mos interficiendi liberos in vsum reuocatus fuit. Nam Senatus ex epistola Tib. Seianum principis familiarem & ferè imperij socium capite damnauit. Puniti corpus in Gemonias abiectum, vncoq; tractum, eiq; toto triduo à plebe inlusum: ac postremò in Tib. fuit proiectum. Sed & liberi eius ex Senat. Consul. sunt necati, filia virgine quam Clau. filio despõderat, prius à carnifice vitiata, quia more tradito nefas esset, virginem quamcumque in carcere strangulari. Vxor autem eius Apirata nõ est damnata, sed corpora liberorum in Gemoniis contuita , scripto libello & ad Tib. misso,*

* id est, Lepidi hostis Publij filiis.

*misso, de Drusi nece, sibi manus intulit. hæc Dio lib. 58. Sueto. in Tib. c. 55. & 61. Tacitus autem li. 5. ita narrat. Placitum posthac vt in reliquos Seiani liberos animaduerteretur, vanescente quanquam plebis ira, ac plerisq; per priora supplicia lenitis. Igitur portantur in carcerem, filius imminentium intelligens, puella adeò nescia, vt crebro interrogaret quod ob delictum, & quò traheretur: neq; facturam vltra, & posse se puerili verbere moueri. Tradunt temporis eius auctores quia triumuirali supplicio affici virginem inauditum habebatur, à carnifice, laqueũ iuxta compressam: exin oblesis faucibus, id ætatis corpora in Gemonias abiecta. Ventum postremò ait Suetonius, & ad omnes ipsius Seiani familiares, atque etiam notos, etiam Senatorij ordinis, & omnis ætatis & sexus, nemoq; non vel de saxo Tarpeio præcipitatus vel strangulatus, & in Gemonias, ac postremò in Tiberim tractus, Senatusconsultóq; omnis luctus inhibitus. Sed multi voluntaria morte carnificem præuenere. nõnulli & amicitiam fateri, & se contra inuidiã nominis defendere ausi. Ex quibus M. Te-*

*rent. Varro, egregia ſe oratione in Senat. defendit. quam fingit Dio li. 58. ſed Tacitus copioſius & elegantius lib. 5. quam his verbis concludit. Inſidiæ in remp. cōſilia cædis aduerſum Imperatorem puniātur, de amicitia & officiis idem finis, & te Cæſ. & nos abſoluerit. ſubiicit auctor, conſtātia huius orationis tantū potuiſſe, vt accuſatores morte aut exilio multarentur. De Seiani morte, & amicorum eius alienatione adſcribam Iuuenalis verſus ex Satyra 10.*

*Seianus ducitur vnco.*
*Spectandus. gaudent omnes quæ labra? quis illi*
*Vultus erat? numquam, ſi quid mihi credis, amaui*
*Hunc hominem. ſed quo cecidit ſub crimine, quiſnam*
*Delator? quibus indiciis? quo teſte probauit?*
*Nil horum verboſa & grandis epiſtola venit*
*A Capreis. bene habet, nil plus interrogo, ſed quid*
*Turba tremens? ſequitur fortunam, vt ſemper, & odit*
*Damnatos. Idem populus, ſi Nortia Tuſco*
*Fauiſſet, ſi oppreſſa foret ſecura ſenectus.*
*Principis, hac ipſa Seianum diceret hora.*
*Auguſtum, &c.*

A materna, vel auita, omnium etiam proximorum ſucceſſione. *Nam de paterna iam dictum eſt in primo capite, fiſco eam addici. Materna autem vel auita non addice-*

*dicetur fisco, sed aliis qui simili vel sequente gradu succedere debuissent proficient, quorum scilicet, pater hoc crimine non erit notatus. Neq; matris bona, licèt damnati vxor fuerit, confiscantur, cùm & ei dos reddatur. §. vxores. j. eod. Nihil igitur capere possunt ex cuiusquam ascendentis cuiuscunque sexus aut gradus, testati aut intestati successione, & si exheredentur, vel prætereantur, non adscripta causa ingratitudinis, in testamento, nec querelam neq; falcidiæ, id est, trientis vel semissis petitionem habent, vt Græci rectè interpretantur.*

Omnium etiam proximorum successione. *rectè proximorum, id est, cognatorum: nam libertorum paternorum successionē capient ex l. eorum. ff. eod. titul. quia non sunt proximi aut cognati, & eorum bonorum certa spes iis fuerat iam ante reatum patris quæsita & debita, quam idcirco fiscus non eripit, ne in crimine quidem perduellionis. l. 4. ff. de iure patron. atque ita hunc locum cum d. l. eorum. ibidem conciliauimus.*

Infamia eos paterna semper comi-

tetur. *id eſt, infames ſint, qua in re videntur ex perſona patris pœnam immerentes luere. Sed id fit principaliter in odium patris, non ipſorum, ſicut in eiuſdem odium eis offerri bona diximus vt charitas filiorum eos amiciores patriæ faciat.*

Ad nullos vnquam honores, ad nulla prorſus ſacramenta perueniant. *cùm ſcilicet, ſint infames, iis dignitatum portæ nec pateant. l. 2. ꝟ. de dignitatibus. Sic autem reſtituimus veram lectionem,* Sacramenta. *id eſt militiam. aliud dignitas, aliud militia: hæc vendi poteſt, illa non item, ſi ſit cum magiſtratu coniuncta.*

Sit & mors ſolatio & vita ſupplicio. *Sic in Cod. Theodoſiano, & optimis manuſcriptis ſcriptum reperi. In vulgatis editionibus excuſſum eſt, ſit & mors ſolatium & vita ſupplicium, Seuerior paulò ſententia, ſed metus hereditarij criminis ( vt præmiſſum eſt ) hanc expreſſit : ſic apud Gregorium, 74. diſt. propter loci, & aeris grauitatem & triſtitiam, dicitur vita alicui eſſe pœna. In hanc ſententiã Cæſar apud Salluſtium. De pœna ( inquit ) poſſum*

*Possum equidem dicere, id quod res habet. In luctu atque miseriis, mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse: eam cuncta mortalium mala dissoluere, vltra, neque curæ neque gaudio locum esse.*

Ad Cap.3.§.denique.

Notabiles esse sine venia qui pro talibus vnquam apud nos interuenire tentauerint. *Nam & Cæsar in ea orat. cuius modo meminimus, quamuis lenissimam in cõiuratos sententiam diceret, tamen hoc addebat, neu quis de his postea ad Senatum referret, neue cum populo ageret, qui aliter faceret contra remp. & salutem omnium facturum. Et Cicero in oratione pro Sylla, loquens de Vargũteio Lecca &c. coniuratis ait, In hoc crimine, non solùm leuitatis esse culpam, verùm etiam quandam contagionem sceleris, si defendas eũ quem obstrictum patriæ suspicère. Et mox de Antrouio disputans, dicit eum non solùm veteres amicos non defendisse, sed etiam contra eum testimonium frequentes dixisse. Et Cornelius Tacitus, in hoc crimine contineri, ne quis necessariorum iuuaret periclitantem. I-*

*demq; Cicero pro Rabirio perduellionis reo, refert Decianum quendam damnatum, quòd in concione ausus esset conqueri de cæde Saturnini, itemq; Sex. Titum damnatum, quòd Saturnini imaginem domi suæ habebat.*

Ad cap. 4. §. Ad filias.

*Filiabus mediocrem alimoniam seruat, nō totum, vt filiis, eripit: quia pro infirmitate sexus minus ausuræ præsumuntur. Itaq; Falcidiam, id est, trientem aut semissem (vt rectè Græci interpretantur) ex bonis matris siue testatæ, siue intestatæ capiunt.*

*Nam ex patris bonis, quæ omnia fisco adiiciuntur nil capiunt. Hæc autem ita accipienda sunt trientem vel semissem ex Nouellæ 18. distinctione his dari nisi ingratæ sint. Notandum hoc loco est, meliorem esse conditionem filiarum quàm filiorum, contra regulam iuris. l. in multis articulis. ff. de statu hominum. l. 1. ff. de Senatoribus. Sic etiam D. Marcus filiis Caßij amplius media parte concessit paterni patrimonij, & auro atq; argento adiuuit, filias autem etiam ornamentis, ita vt Alexandria eius filia & Druncianus gener*

*(cuius*

*( cuius mentio lege proxima fiet ) liberam vagandi potestatem haberent.*

* *Quærit glossa, si mater commiserit factionem, an parcatur filiis, vel filiabus. Et ex authoritate Azonis & vetere eius glosula respondetur idem quod in patre, nam quamuis, vt ex Tacito retulimus, ea sit infirmitas sexus, vt vix fœmina tale facinus implere possit, si tamen id contingat, lex hæc ad vtrumque sexum pertinebit, & quamuis in odiosis extendetur ad fœminas, ex hac glossa, quam vehementer commendat Angelus in §. interdum, Institut. de heredit. ab intestato.*

Ad Cap. 5. §. Emancipationes.

*Causa rescindendæ emancipationis est, vt bona quæ filij emancipati quæsierunt, ad patrem reuertantur, & ab eo ad fiscum.*

De cap. 6. §. dotes. dictum est. ad l. vlt. ff. eod. & dicitur in l. vlt. i. c.

Ad cap. 7. §. Vxores.

*Vxores recipiunt dotem, nec ea cum bonis maritorum publicatur. Sed donationem propter nuptias, quam filiis debent seruare, finito eius vsufructu, id est, si ad secundas nu-*

*ptias transierint, debent fisco post suam mortem restituere. l. fœminæ. §. de secundis nuptiis, sed & hoc casu Falcidia, id est, triens vel semis, filiabus non etiam filiis datur.*

Ad capit. 8. §. Id quod.

*Satellites, conscij ministri, eadem pœna puniuntur. Hanc tamen clausulam sæpe mitigatam fuisse legimus. Nam & in coniuratione Catilinæ promiscuæ multitudini quæ Catilinam secuta erat, Senatus diem statuit antequàm sine fraude liceret ab armis discedere, citra condemnatos rerum capitalium. Et in coniuratione, de recipiendo in vrbem Tarquinio eiecto, tametsi de præcipuis authoribus vt Bru. liberis, & Aquiliis supplicium sumptum sit, tamen dies viginti statuti sunt cæteris Romanis, qui cùm tyranno profugerãt, ante quos sine fraude ac metu in viam redirent: quod ni intra id tempus redirent, perpetui exilij & publicationis bonorum pœnam sustinerent. Authores Liuius lib. 2. 3. Publicola Plutarch. Dionys. Alicarnass. lib. 5. Solebant autem tunc locum pœnitentiæ facere Romani, cùm ad plures delictum pertinebat, vt significat Plinius*

*in*

*in epiſtola ad Traianum de Chriſtianis, & eorum inquiſitione. Sic & D. Marcus in conſcios defectionis Caſſianæ vetuit Senatũ grauiter vindicare, ſimul petiit ne quis Senator, tempore principatus ſui occideretur, ne eius Imperium videretur pollui, ignouit & ciuitatibus quæ Caſſio conſenſerant, ignouit & Antiochenſibus, qui multa in Marcum pro Caſſio dixerant Auctore Capitolino in Marco. Contra verò Græci Caryam ciuitatem Peloponneſi, quòd Perſis contra totam Græciam conſenſerat, delerunt, matronis in ſeruitutem abductis, quæ ſtatuis, aut columnis Cariatibus nomen dederunt. Victruuius lib. 1. de Architectura.*

Ad cap. 9. §. vlt. Sanè.

*Iubet ſi quis ex coniuratis exordio factionis initæ, nec patratæ, rem indicauerit & prodiderit, non puniri, ſed præmio donari. Si verò re iam patrata aut cœpta, nondum tamen cognita aut vulgata, quamuis ſerò, tamen veniam & abſolutionem mereri. Obſeruandum autem imprimis eſt ſingulare eſſe, & ſpeciale in atrocioribus criminibus, vt indices*

*impunitatem mereantur. Est autem index, qui facinoris, cuius ipse est conscius, latebras indicat, impunitate proposita. Sic enim definit Asconius Pædianus. Certa autem esse ait indicia, in quibus impunitas indici datur, vt in causa proditionis maiestatis, & si quid huiusmodi est. Certæ etiã personæ sunt (inquit) quæ indices fieri possunt. Nã senatoriæ nõ possunt. Nec in iudicio, repetũdarũ impunitas indicibus datur. Quibus ex causis cõtendit Cicero in diuinatione in Verrẽ nõ licuisse Cæcilio, saluis legibus accusare Verrem, & quia Senator erat, & quia de repetũdis postulabatur Verres. In proditione de rege Tarquinio reducendo, præmium indici, cui Vindici nomen erat, Vitellorum (qui ex coniuratis erãt) seruo, datum est, pecunia ex ærario, libertas & ciuitas: Isque primùm dicitur vindicta liberatus. Liuius li. 2. l. 2. ff. de origine Iuris. In incendio quoq; circa annum vrbis 544. detecto, seruo indici libertas & viginti milia æris. Liuius li. 26. & in alio incendio, circa annum eundem seruis indicibus libertas, & æris dena millia data. Liui. lib. 27. & in coniuratione circa vrbis an-*

*num 556. seruis indicibus vicena quina millia æris & libertas, libero verò indici centum millia grauis æris, iussu patrum datum. Liuius lib. 42. & in coniuratione Catilinæ, si quis indicasset de ea, præmium Senatus decreuit, seruo libertatem, sestertia centum libero, impunitatem eius rei, & sestertia ducenta millia, & tamen ex tanta multitudine coniuratorum, & consciorum, neque præmio inductus coniurationem patefecerat, neque ex castris Catilinæ quisquam omnium discesserat, tanta vis morbi, atque tabes plerosq́; ciuium animos inuaserat. Neque solùm illis aliena mens erat, qui conscij coniurationis fuerant (inquit Sallustius) sed omnino cuncta plebs, nouarum rerum studio, Catilinæ incepta probabat, more suo, quo bonis inuidebat, malos extollebat, vetera oderat, noua exoptabat, odio suarum rerum mutari omnia studebat. Rectè additur ita demum impunitatem concedi, si nondum re cognita, res proferatur & indicetur. Nam Philotas ab Alexãdro Magno, ob celatum triduo de morte eius indicium, perduellionem iudicari iußit, post longas quæstiones & tormẽta. Q. Curtius. lib. 6.*

## LEX VI. PAVLVS libro singulari de publicis Iudiciis.



EMINISSE oportebit si quid contra maiestatē Imperatoris commissum dicatur, etiam post mortem rei, id crimen instaurari solere, postea quàm Diuus Marcus Drunciani, vtpote Senatoris, qui Cassiani furoris socius fuerat, bona, post mortem fisco vindicari iussit, & nostro tempore multis heredibus ablata sunt.

* In hoc item crimine quod ad læsam maiestatem Imperatoris pertinet, etiam in caput Domini serui torquentur.

### *COMMENTARIVS.*

Drunciani. *Sic appellat Capitolinus in Marco. Sed Volcatius in Cassio vocat Druentia-*

*tianum, qui fuit gener Auidij Caßij, qui cõtra D. Marcum rebellauit, & à D. Marco defecit, & Imperatorem se in Oriente appellari & salutari iußit, eodem Volcatio auctore, qui & eidem Druentiano vitam fuisse concessam ait. Erat autem & ipse Caßius Senator, cuius idcirco necem dicitur D. Marcus doluisse, quòd diceret, optasse se sine Senatorio sanguine Imperium suum transigere, vt ait Capitolinus. Neuter tamen auctor id, quod hîc recitatur, commemorauit.*

Et nostro tempore multis heredibus ablatæ sunt. *Vixit Paulus tempore Seueri Imperatoris, eius filiorũ, & Alexandri Mammeæ. Cæterùm illis temporibus numerosi, ex illustribus & Senatoriis personis viri contra imperium rebellasse dicuntur, & hic & apud Tertullianum, in libello ad Scupulã, Carthaginis Præsidem sub Seuero. Sic (inquit) & circa maiestatẽ Imperatoris infamamur, tamen nunquam Albiniani, nec Nigriani, vel Caßiani inueniri potuerunt Christiani, sed iidem ipsi qui in pridie vsq; iurauerãt, qui Christianos sæpe damnauerant, hostes eorum sunt*

*reperti. Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens à Deo cõstitui, necesse est vt & ipsum diligat & reuereatur, & honoret, & saluum velit, cum toto Romano Imperio, quousq; seculum stabit: tamdiu enim stabit. Colimus ergo Imperatorem sic, quomodo & nobis licet & ipsi expedit, vt hominẽ à Deo secundum, & quicquid est, à Deo consecutum, solo Deo minorem. Albiniani autem à Clodio Albino sunt dicti, quem in Gallia res nouas agitantem, & se Imperatorem iactantem, Seuerus vicit, & victi corpus in Rhodanũ proiici iussit: Spartianus in Seuero, & in Nigro. Nigriani à Pescennio Nigro, qui etiam contra Seuerum arma sumpsit, à quo & ad extremum victus est & occisus: Spartianus in Seuero & in Nigro. Cassiani ab Auidio Cassio: vt iam diximus, dicti sunt.*

LEX

## LEX VII. MARTIAnus lib. 1. de publicis Iudiciis, Titulo ad legem Iuliam Maiestatis.



Ost Diui Marci constitutionem hoc iure vti cœpimus, vt etiam post mortẽ nocentium hoc crimen inchoari possit, vt conuicto mortuo, memoria eius damnetur, & eius bona successori eius eripiantur. Nã ex quo sceleratissimum quis consilium cœpit, exinde quodammodo sua mente punitus est. Sic & Diui Seuerus, & Antoninus constituerunt: ex quo quis tale crimen contraxit, neque alienare, neque manumittere eum posse: nec ei soluere iure debitorem, Magnus etiam Antoninus rescripsit. In hac causa, in caput domini serui torquentur, id est, propter causam maiestatis, & si decessit quis propter incertam personam suc-

cessoris, bona obseruantur, si in causa maiestatis fuisse mortuus, arguatur, vt Seuerus & Antoninus literis ad rationales missis rescripserunt.

## COMMENTARIVS.

Exinde quodammodo sua mente punitus est. *Quod de singulis criminibus Philosophi, Sapientes, ac Poetæ, vt à vitiis deterreant, affirmant tacitis Furiis & Erynnibus quemque noxium cruciari in animo, hoc Iurisconsultus ad grauiora hæc crimina retulit. Iuuenalis Saty. 13.*

*Exemplo quodcunq; malo committitur, ipsi*
*Displicet auctori, prima est hæc vltio, quod se*
*Iudice nemo nocēs absoluitur; improba quāuis*
*Gratia fallacis Prætoris vicerit vrnam.*

Et inde eadem Satyra. *(scia facti,*
*Cur tamen hos tu euasisse putes, quos diri con-*
*Mens habet attonitos? & surdo verbere cædit,*
*Occultum quatiente animo tortore flagellum?*
*Pœna autem vehemens ac multo sæuior illis,*
*Quas & Cæditius grauis inuenit, aut Rhadamantus,*

No-

*Nocte dieq; suum gestare in pectore testem.*
*Et deinde. Has patitur pœnas peccandi sola voluntas. loquens de eo qui saltem cogitauerat de inficiando deposito, quamuis post responsum Pythiæ pœnitudine ductu, depositum reddidisset. & subdit : Nam scelus intra se tacitum qui cogitat vllum. Facti crimen habet cedò, si conata peregit? Perpetua anxietas, nec mensæ tempore cessat. Sed acutius & subtilius ista exequitur Seneca epistola 98. Tuta scelera esse secura non possunt, inquit. Quare? quia prima illa & maxima peccantium est pœna, peccasse. Nec vllum scelus (licet illud fortuna exornet muneribus suis, licèt tueatur ac vindicet) impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est. Sed nihilominus & hæc, & illa (secundæ pœnæ) premunt ac sequũtur, timere semper & expauescere, & securitati diffidere. Illic dissentiamus cum Epicuro, vbi dicit nihil iustum esse natura, & crimina vitanda esse, quia vitari metus non possit. hic consentiamus, mala facinora conscientia flagellari, & plurimum illi tormentorum esse, eo quòd perpetuo illam solicitudo vrget ac*

*verberat, quod ſponſoribus ſecuritatis ſuæ nõ poteſt credere. Hoc enim ipſum argumentũ Epicuri eſt, natura nos à ſcelere abhorrere, quod nulli non etiã inter tuta timor eſt. Multos fortuna liberat pœna, metu neminem. quare? qa infixa nobis eius rei auerſatio eſt, quam natura damnauit. Ideò nunquam fides latenti fit, etiam latentibus, quia coarguit illos conſciẽtia & ipſos ſibi oſtendit. Proprium autem eſt nocentium trepidare. Malè de nobis actum erat, quod multa ſcelera legem & iudicem effugiunt, & ſcripta ſupplicia, niſi illa naturalia & grauia de præſentibus ſoluerent, & in locum pãtientiæ timor cederet. Cicero in paradoxis eandem ſentẽtiam attingit: Tuæ libidines te torquent, tu dies noctesq; cruciaris. Item te conſcientiæ ſtimulant maleficiorum tuorum: te metus exanimant iudiciorum atq; legum: quocumque aſpexiſti, vt furiæ, ſic tuæ tibi occurrunt iniuriæ, quæ te reſpirare non ſinunt. Sed idem auctor omnium elegantiſſimè totum hunc locum pertractat, libro primo de legibus: At verò ſcelerum in homines (inquit) atque impietatum nulla expiatio eſt. Itaque*

*quepœnas luunt, non tam iudiciis (quæ quondam nusquam erant, hodie multifariam nulla sunt, & vt sint, tamē persæpe falsa sunt) quàm conscientia, vt eos agitent, insectenturque furiæ, non ardentibus tædis, sicut in fabulis, sed angore conscientiæ, fraudisq́ cruciatu. Quòd si homines ab iniuria pœna non natura arcere deberet, quænam solicitudo vexaret impios, sublato suppliciorum metu? quorum tamē nemo tam audax vnquam fuit, quin aut admitteret à se commissum esse facinus, aut iusti sui doloris causam aliquā fingeret, defensionemq́ facinoris à naturæ iure aliquo quæreret. Quæ si appellare audent impij, quo tandem studio colentur à bonis? Quòd si pœna, si metus supplicij, non ipsa turpitudo deterret ab iniuriosa facinorosaq́ vita, nemo est iniustus: & incauti potius habendi sunt, quàm improbi. Tum autem qui non ipso honesto mouemur, vt boni viri simus, sed vtilitate aliqua atque fructu, callidi sumus, non boni. Nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet nisi testem vel iudicem? &c. Quod autem de Furiis ardentibus ex fabulis attigit, eiusmodi est. An-*

*tequam ad tantum vigoris adoleuissent studia literarum, & Philosophiæ, primi Sapientes omnia vitæ vtilia figuris adumbrabant. Itaq; inferos fingebant pro corporibus, in quibus anima tanquam in fœdo & squalenti carcere esset demersa: fluuios Læthæum, Phlegetonta, Acheronta, cocytum Stygia pro variis animi passionibus & affectibus inducebant. Ipsam quoque pœnarum descriptionem, de ipso vsu conuersationis humanæ, sumpserunt ardentes Furiarũ faces, & vulturem iecur immortale tundentẽ, nihil aliud intelligentes, quàm tormenta consciẽtiæ, & Nemeses, & curas scelerũ cor assiduè vrentes, nec requiei locum dantes, tanquam fibris renascentibus inhærendo, nec sibi parcendo, lege hac qua se iudice nemo nocens absoluitur, nec de se suam potest vitare sententiam, hoc est lege naturæ, vt dictum est. quæ eleganter docet Macrobius libro primo, in somnium Scipionis, cap. 10.*

Ex quo quis tale crimen contraxit, neque alienare neque manumittere eum posse, nec ei soluere iure debitorẽ. *Hoc singulare est in hoc crimine. Nam post contra-*

*tractum aliud quoduis capitale crimen, si condemnatio secuta nō sit, tam donationes quàm alienationes, manumißionesq́; factæ valent, vt à contrario colligitur ex l. post contractum. ff. de donationibus. quæ lex sic legēda est:* Post contractum capitale crimen, donationes factæ non valent, ex constitutione Diuorum Seueri & Antonini, si condēnato secuta sit. *Sic enim Græci lib. 47.* βασιλικ. *legerunt, & librarij Florentini. Erratum in eo deprehenditur, quòd syllabam, ni, quæ in dictione Antonini postrema est, bis posuit, vt ita legeretur, Antonini nisi, &c. Sed & Odoffredus hanc lectionem, & interpretationem rectè animaduertit, reprehensa peruersa Accursij interpretatione, & hæc quoque lectio ratione confirmatur, quia crimen morte extinguitur, & qui in reatu decedit, integri status decedit. l. vlt. ff. eodem titu. Ergo nihil est quòd irritam faciat donationem si non sit secuta damnatio. Eadem porro Seueri & Antonini constitutio intelligenda est in d. l. post contractum, quæ & in hac lege. Sed & hoc crimen circa donationes, eodem titulo, in*

*hoc crimine exceptum est. l.donationes in concubinam.§.ratæ. Ratæ donationes esse non possunt post crimen perduellionis contractum, cùm heredem quoq; teneat, etsi nondum postulatus vita decesserit. Ratio autem decidendi in dict. l.post contractum.fuit, quia videtur in fraudem fisci alienasse, quem scire debuit se successorem propter crimen habiturum. l. in fraudem. ff. de Iure fisci. Idq; magis atque magis præsumetur, si post accusationem cœptā facta sit alienatio. Bartholus tamen multos casus colligit, quibus etsi ante cœptam accusationem, & etiā ante contractum crimen fraus fisco fieri videtur: sed his casibus, non ipso iure, vt superioribus casibus, sed per sententiam iudicis reuocanda est donatio & alienatio, vt sentit Iohannes de Imola. §. Item si quis in fraudem, Institutio.de actionibus. Nec obstat decisioni dictæ l. post contractum, quod ab initio rectè contractum non destruitur, si ad eum casum deducatur, à quo incipere non potuit. l.quod ab initio. ff. de regul. Iuris: & quòd solutio interim ei rectè fit, & is rectè soluit. l.reo, & l.seq. & l.quàmuis.§.primo.ff. de solu-*

*ſolution. l. auſertur.§.in reatu.ff. de iure fiſci. quia cum in fraudem retro factum fingatur merito reuocatur.*

Nec *obſtat. l. ſi aliquis.ff.de mortis cauſa donationibus, quæ ait ceteras donationes præter eam quæ cauſa mortis fit, valere ſine pœnæ ſuſpicione factas, non autem donationem cauſa mortis, quæ ſi donator pœna fuerit capitis affectus, remouetur vt imperfecta, quia in eo quidem vtraq; donatio conſentiunt, quòd factæ poſt contractum crimen, ſecuta poſtea condemnatione reuocentur: ſed in hoc differunt, quòd donatio mortis cauſa facta etiam ante admiſſum crimen, ſi ſequatur damnatio, reuocatur, exemplo teſtamenti, quod ſententia capitis fit irritum.l.ſexta.ff.de iniuſto rupto &c. §.Irritum. At cæteræ donationes, quæ non ita ad exemplum legatorum redactæ ſunt, vt mortis cauſa donatio, non fiunt irritæ, ne ſequuta quidem condemnatione ſi ante crimen & criminis ſuſpicionem ſunt factæ.*

*Bartholus rectè quodam modo tempora distinguit, non per omnia.*

*1. Ante admissum crimen, aut admittendi spem, quæ septem coniecturis probatur, & hoc casu valet donatio inter viuos, etiamsi condemnatio secuta sit; non autem donatio mortis causa.*

*2. Post crimen admissum nulla donatio valet, si condemnatio sequatur, si non sequatur, valet omnis donatio.*

*3. Post accusationem sed ante sententiam. Idem dicendum quòd proximo superiore casu.*

*4. Post sententiam, sed ante mortem: quo casu nulla valet donatio.*

*1. Si donet omnia bona.*

*2. Si coniúctæ personæ l. data. l. penu. C. eod.*

*3. Si post donationem factam adhuc possideat rem donatam.*

*4. Si clam fiat donatio.*

*5. Si de proximo sequatur delictum.*

*6. Si donat sub conditione, si bona sua publicentur.*

IN-

# INDEX OMNIVM CONIVRATIONVM, Defectionum, Rebellionum, & Proditionum, quæ ab initio mundi, ad nouissima vsq; tempora variis in locis, ciuitatibus, Imperiis ac regnis exortæ sunt.



ICE *coronidis subiicere visum est breue hoc indiculum, vt exempla criminis, superiori tractatu expositi quærere volentibus longæ inquisitionis labor absit, vtque simul librorum è quibus latiorem eorum narrationē petere possint, admoneātur.*

Principio, *vt fabulæ fingunt in ipso mūdi primordio, nondum constitutam fuisse maiestatem in cœlo, diis minoribus Ioui cedere de-*

*trectantibus, ita veritas sacri nos eloquij docet apostatas angelos, eorumq́ principem* Sathanam, *quæ vox Hebraica rebellem & aduersarium significat, diuinæ ac summæ maiestati cedere nolentem, & similem se altißimo iactantem duce Michaele archangelo, ac iustorum angelorum legibus fuisse oppressum, & de cælo deiectũ, & igni sempiterno destinatum. Ea prima fuit perduellio rebellioq́ & animatio hostilis aduersus Deum, cum homines nulli dum essent. Cuius perpetuo conscius ille angelus præuaricator, homines postea ad consimilem defectionem & ruinam solicitare non destitit nec desistit. Hoc vnum damnationis suæ quærens præmium & solatium, si cùm de salute sua desperarit, omnium hominum salutem in dubium reuocet, ac in præceps barathrũ demergat, si aurem callidis eius susurris præbuerint. Nam & ipsos primos homines non ad transgreßionem tantùm præcepti, sed etiã ad læsionem & vsurpationem maiestatis diuinæ instigauit, falsò prædicens fore vt post trãsgreßionem viuerent oculis apertis, & essent sicut dij scientes bonum & malum. Sed mihi*

*con-*

*consilium non est, varias diuinæ maiestatis læsæ species enumerare, quas ab hoc crimine maiestatis, iudicij & pœnæ genere antea monui discretas. Itaque ne audax illud facinus latius commemorabo, quo turrem vsque ad cælum erigere tentarunt primi post diluuium homines & gigantes, partim nominis & gloriæ parandæ causa, partim etiam muniēdi aduersus diluuium, si rediret præsidij. Quam etiam rebellionem poetæ, & fabulæ in bellum gigantū transformarunt. Ouid. I. Meta.*

*Affectasse ferunt regnum cæleste gigantes,*
*Altaq; congestos struxisse ad sydera montes.*
*Tum pater omnipotens misso perfregit olimpū*
*Fulmine, & excussit subiectum Pelion ossæ.*

*Sed nos veritas ipsa docet nullius fulminis præsidio, sed sola labij, id est, linguarum confusione eos ab incæpto fuisse præpeditos.*

Coniurationes *autē personarū, quæ in fabulis & tragœdiis referuntur, & quæ fabulosis tēporibus tribuūtur prætermittēs, eas percurrā, quæ ab historicis sinceriore fide referuntur.*

Primus *Sesostris regis Ægypti frater, ei apud se cum vxore, & filij cænanti insidias*

*parauit. Diod. lib. 1. parte secunda.*

2 Postea *Ninus matri Semiramidi, per Eunuchum insidias parauit, quas authore Diodoro euasit, sed Trog. contra existimat ob adpetitum filij concubitum, ab eodem interfectam. Narrat Orosius lib. 1. c. 4. eam publico scelere, nefandam suam libidinem obtexisse, & legem tulisse, qua inter parentes liberosque coniugia permittebantur.*

3 Ad *videndum Sardanapalum (quòd nemini antea permissum erat) præfectus eius Arbaces ægrè admissus, cum eum inter scortorum greges inuenisset omni fœmina molliorem & lasciuiorem, indignatus tanto probro cum sociis de bello illi inferendo coniurat. In quo victus Sardanapalus, se cum omni gaza in pyram coniicit, & in eius locum idem ipse Arbaces rex statuitur. Iustinus lib. 1. Oros. li. 1. ca. 19. Diodorus lib. 2.*

4 *Astyages meriti, id est, sceleris in Harpagum admissi, cum in vltionem seruati Cyri nepotis, filium suum epulandum dedit, ipsi Harpago summam belli contra Cyrum committit, qui acceptum exercitum statim Cyro per proditio-*

ditio-

*ditionem tradit, regis crudelitatem perfidia defectionis vltus. Iustinus lib. 1. Oros. lib. 1. ca. 19. Cyrus etiam, victo auo regnum abstulit, eumq́ maximæ genti Hircanorum præposuit, nepotem magis quàm victorem se gerens.*

*5 Oxor Candaulis Lydiæ regis, cum Gyge regis amico, suoq́ adultero, de interficiendo marito coniurauit. Id fuit nuptiarum cum Gyge futurarum præmium: Nam mariti sanguine dotata regnum viri & se pariter adultero tradidit. Iust. Herodot.*

*6 Magus quidem delegatum sibi facinus à Cambyse de ipsius fratre Mergide interficiendo, etiam Cambyse mortuo perpetrat, prostratoq́ Mergide cui regnum debebatur, fratrem suum oris lineamentis persimilem subiecit Oropastem, ac nemine subesse dolum arbitrante, rex Oropastes diu pro Mergide creditus fuit. Iustinus lib. 1. Herodotus lib. 3. paulò aliter: quē sequitur Eusebius in Chronicis.*

*7 Ea falsi Regis subiectio postea Hostani viro inter Persas nobili, cognita, eum impulit vt cum sex Optimatibus coniuraret, eosq́ in cædem falsi Regis impulsos, Sacramento religio-*

*nis obstringeret: Quo occiso, de Rege ex ipsorũ numero eligendo concordare potuerunt, Regnum ad Darium Hispalis filium, vnum ex coniuratis peruenit: Alius ex coniuratis, nomine Zopirus, dolo Babyloniam ingressus, vrbem Dario Regi prodidit. Iusti. lib. 1. in fine.*

Pisistratus *victis Megaris, quasi sibi non Patriæ vicisset, tyrãnidem per dolum occupat: quippe verberibus voluntariis domi adfectus, laceratoq; corpore in concionem prodit, vulnera ostendit, quæ à Principibus simulat accepta, obtinet ad custodiam corporis sui satellitium, & custodum cohortem, cuius munimento, & vi occupata tyrannide, annos regnat xxxiiij. cuius duo liberi Diocles & Hyppias, ille ob stupratam virginem, à fratre virginis interfectus est: hic ob crudelitatem quæstionis, de fratre virginis & consciis habito regno pulsus, ducem se Dario ad bellum patriæ inferendum obtulit, & eum aduersus patriam concitauit. Iusti. lib. 2. Euseb. ad annum 17. Tarquin. Sup. notat Hipparcum & Hippiam Athenis tyrannidem exercuisse, eosq; tandem ab Armodio & Aristogitone interfectos: & Leenam meretri-*

*cem*

*cem amicam eorum, cùm tormentis cogeretur, vt socios proderet, linguam suam mordacitus amputasse. Et paulò post apud Samũ tres fratres, Policratem, Sylum & Pantagnostum Lones, cùm essent coloni ab Atheniensibus deducti, in auxilium tamen Regis Xerxis venerunt aduersus Athenienses, quos vt rebellantes aduersus conditores suos, Themistocles increpãs, perfecit vt in ipso prælio pugnæ se paulatim subtraherent, quorum defectio cæterorum animos fregit. Iust. lib. 2.*

Documento *fuit Themistocles posse dolo bono interdum nostra consilia hostibus nũciari: nam cùm Græci audita Xerxis fuga consilium inissent interrũpendi pontis quẽ ille Abido, velut victor maris fecerat, vt intercluso aditu, aut deleretur, aut ad pacem petendã cogeretur: Themistocles cõtra metuens ne desperationem in virtutem verterent, & iter quod aliter non pateret, ferro patefacerent, consilium Græcorũ Xerxi indicat: ille perculsus nuncio Abidum fugiens, & solutum pontem hibernis tempestatibus offendens, piscatoria scapha traiecit trepidus. Iustinus lib. 2. de Themistocle.*

Pausanias *dux Lacedemoniorum in bello aduersus Xerxem, pro ducatu Regnum Græciæ adfectans, proditionis præmium cum Xerxe, nuptias filiæ eius paciscitur. Scribit præterea Xerxi, quoscunq; ad se nuncios misisset, interficeret, ne res loquacitate hominum proderetur. Sed dux Atheniensium Aristides belli socius electus, collegæ conatibus obuiam eundo, simul in rem sapienter consulendo, proditionis consilia discußit. Nec multò post accusatus Pausanias damnatur, non solo Argilij iudicis iudicio, sed & proprio: & in tēplo quodam est conclusus, vt in eo sub Dino interiret. Probus in Pausania. Iustinus libro 2. in fine.*

Artabanus *Xerxis præfectus, cum septem robustißimis filiis Regiam Xerxis vesperi ingressus, eum trucidat: mox etiam Artaxerxem puerum impellit, Darium adolescentem fratrē interficere, persuadens à Dario patrem Xerxem interfectum: quo perpetrato, veritate rei gestæ postea cognita, Artaxerxes se quoq; ad necem vltimum appeti sciens, & verens numerum filiorum Artabani, exercitum iubet esse paratum, quasi recogniturus militum numerum:*

*ibi*

*ibi armatum Artabanum , iubet secum commutare loricam, simulans se breuiorem habere, exuentem se, ac nudatum gladio traiecit: tũ etiam filios eius corripi iubet , Iustin. libr. 3. in principio.*

Pericles *Atheniensis dux belli, in Lacedæmonios electus prospiciens, & populo prædicẽs fore, vt ad conflandum illi proditionis infamiam, Lacedæmonij eius agros relinquerent intactos in populatione cæterorum, suos agros dono reipublicæ, antequàm ad bellum proficisceretur, dedit. Iustinus lib. 3.*

Trigintauiri, *deuictis Atheniensibus, impositi à Lacedæmoniis, qui rempublicam Atheniensium tractarent, cùm primò cœpissent pessimum quemq;, & omnibus inuisum indemnatum necare, postea vbi licentia creuit, iuxta bonos & malos libidinosè interficere cœperũt, & tyrannidem in ciues exercuerunt, sibi tria millia satellitum statuentes : Itaque populus, qui de bono illorum initio lætabatur, stultæ lætitiæ pœnas tandem dedit: sed his tandem ab exulibus Atheniensibus eiectis, & bello victis, alij decemuiri substituti sunt, qui nihil exem-*

*plo prioris dominationis territi, eandem viam crudelitatis aggreßi sunt, & dignũ etiam cœptis audacibus vitæ exitum nacti, vt pacis victimæ trucidati, reuocatis in vrbem his qui emigrare iußi erant, &* ἀμνησία *iureiurando sancita, & lege à Thrasibulo lata, ne quis ante-actarum rerum accusaretur, néue multaretur, quam legem obliuionis appellarunt: Probus in Thrasybulo, quem facit harum rerum auctorem. Iustinus libro 5. Salust. in Catilin. in oratione Cæsaris.*

In Bello *Thebanorum & Atheniensium aduersus Lacedæmonios, Pausanias alter Lacedæmoniorum dux, proditionis accusatus, in exilium abiit.*

Pausanias *nobilis ex Macedonibus adolescens, vel certas ob causas Philippo patri Alexandri subiratus, vel ab Olympiade expulsa immissus, ipsum Philippum quo die nuptias filiæ suæ Cleopatræ cum Alexandro Epiri Rege celebrabat, obtruncauit. Ob quod facinus crucifixus cùm esset, eius in cruce pendentis capiti coronam imposuit Olympias, eadem nocte qua venit titulo officij ad exequias mariti: sed*

*&*

*& paucos post dies refixum corpus eius inter reliquias mariti cremauit, & ei tumulum eodem in loco fecit, parentariq; quotannis curauit: & gladiũ quo Rex interfectus fuerat, Appollini sub nomine Martialis consecrauit: quod nomen antea illi paruulæ fuerat.*

Portentosa *fuit Darij in Artaxerxem patrem, à quo viuente Rex factus fuerat coniuratio, cum quinquaginta fratribus parricidis, qua detecta, omnes cùm vxoribus diis paternæ maiestatis vltoribus pœnas dederũt: Ochus postea regnũ adeptus, timens parem coniurationem, regiam cognatorum cæde replet, nullo sexus, sanguinis, ætatis discrimine, scilicet, ne innocentior fratribus haberetur. Iustin. lib. 10.*

Antipater *per insidias Alexandrum Mag. veneno extingui curauit. Iusti. lib. 12.*

Panetius *primus in Sicilia arripuit tyrannidem. Hieron. post Galeonem Syracusis tyrannidem exercuit. Eusebius Chronic. ad annum 2. Tarquinij Prisci: & ad annum 5. Xerxis.*

Accusatus *fuit Athenis Miltiades proditionis, quod cum parum expugnare posset, à*

*Rege corruptus, infectis rebus à pugna decessisset: causa cognita capitis absolutus, pecunia multatus est, lite quinquaginta Talentis æstimata, hanc pecuniam quia soluere nō poterat, in vincula publica coniectus est, ibiq; diē obijt supremum. Sed aliam fuisse causam damnationis ait Probus: nempe quia eius potentiam & dominandi assuetudinem, magnam auctoritatē apud omnes ciuitates, nobile nomen laudē rei militaris suspectam habuerunt Pisistrati tyrannidis memores. Probus in Miltiade. Vale. Max. lib. 5. cap. de ingratis, hoc addens. Imo ne corpus quidem eius sic expirare coacti, sepulturæ prius mandari passi sunt, quàm filius eius Cimon eisdem vinculis se constringendum traderet, hanc hæreditatem paternam Maximi ducis filius, & futurus ipse ætatis suæ dux Maximus, solam se creuisse, cathenas scilicet & carcerem gloriari potuit: sic enim locus emendādus est ex manuscriptis libris, qui vulgò deprauatus circumfertur. Filius quoque eius Cimon post multa in suam rempublicam beneficia, testarum suffragiis, quod illi astracismum vocant, decem annorum exilio*

*mul-*

*multatus est: Probus in Cimone. Themistocles etiam pari ingratitudine proditionis absens est dãnatus: vt antea retulimus in l. quisquis. cap. 1. de quo scribunt Thucidides, Plutarchus, Iustinus, Probus, Val. Max. lib. 5. c. de ingratis.*

Sed & *Aristidem qui cognominabatur* Iustus, *testula seu ostracismo decem annorum multarunt: quæ damnatio, non tam scelus, quàm liuorem tyrannidis indicabat, teste Plutarcho.*

Sed & *Thimotheus Conouis filius proditionis damnatus est Athenis, lisq́ æstimata cẽtum talentis, sed post huius mortem in Chalcide, populus nouem multæ partes detraxit, & decem talenta Conouem filium eius ad muri refectionem dare iussit. Probus in Thimot.*

Dionysius *tyrannus pater, cùm dixisset Medicis se, si maiore in periculo vitæ esset, velle partiri regnum cum Dione, idq́ Dionysius filius à medicis resciisset, fraude filij diem supremum obiit: nam is medicos coegit patri dare soporem, seu soporiferam potionem, ne agendi cum Dione esset potestas. Hunc Dionem cum tyrannidem postea arripuisset, Callicrates qui-* φάρμακον ὑπνωτικόν.

*dam Atheniensis, homo callidißimus, & sine vlla religione & fide mirè circumuenit. Nam cum ei persuasisset è re sua esse quendam ex suis emissarium habere, qui se simularet ei inimicum, hocq; prætextu omnium sinistros de illo sermones colligeret, ad eumq; deferret vt pœnas darent, has ipse partes excepit, & se Dionis imprudentia armauit. Nam seriò socios ad illum interficiendum conquirit, & coniurationem confirmat: & quamuis à sorore & vxore Dion certior esset factus, tamen ea fieri præcepto suo dixit: nec dubitauit ipse Callicrates in æde Proserpinæ mulieribus iurare, nihil à se periculi fore Dioni, & postea peierare, & Dionem dolo aggredi, & facinus maturare atque perficere. Probus in Dione.*

Epaminondas *accusatus quòd contra legem Thebanam, quæ morte multabat, si quis Imperium diutius retinuisset, quàm lege præfinitum esset, quatuor mensibus diutius quàm populus iusserat imperium geßisset, confessus est, sed petiit vt in periculo suo, id est,* sententia, iudices inscriberent, se idcirco morte multari, quòd Thebas & Græciam eo facto in libertatem*

*Vt notaui ad l. 1. C. de senten. ex periculo. recit.*

*tatem vindicasset: quibus auditis nullus Iudex ausus est ferre suffragium. Probus in Epaminonda.*

Phocion, *propter suspicionem proditi hostibus Piræi, damnatus, traditus est vndecim viris (more Atheniensium) vt ad mortem duceretur: in hoc tantum fuit odium multitudinis, vt nemo ausus sit sepelire. Probus in Phocione. Valerius Maximus libro 5. capit. 3. de ingratis, in fine.*

Thimoleon *Corinthius, cùm frater eius Timophanes dux à Corinthiis delectus, tyrannidem per milites mercenarios occupasset, particepsq; regni posset esse, tantum abfuit à societate sceleris, vt ante tulerit patriæ libertatem fratris saluti, ideoq; fratrem tyrannum interficiendum curauerit. Idem Dionisium tyrannum, qui Dione interfecto rursus Syracusarum potitus erat dux in eum missus superauit, & tota Sicilia depulit, cùm interficere posset, noluit, tútoq; Corinthum vt perueniret effecit, quod vtrorumq; Dionisiorum opibus Corinthij sæpe adiuti fuerant: Ciuitatibus leges libertatemq; reddidit: arcem Siracusis, quam*

*muniuerat Dionisius, ad vrbem obsidendam, à fundamentis disiecit: cætera tyrannidis propugnacula demolitus est.* Probus *in Thimoleonte.*

Ex Romana historia.

Permittendum *existimaui Numitoris in Amulium vetus odium, & regnandi certamen, & Romuli ac Remi aduersus Amulium, maiorem auunculum coniurationem de eo interficiendo, eiusq; regno Numitori auo suo materno, vtpote stirpis Maximo, & cui regnum Proca iure legarat, restituendo, propterea quòd aliquis prætextus fortè ad eam irruptionem defendendam excogitari posset.*

Illud *primum maiestatis minutæ exemplũ referri potest, & supplicium quo Remus, quamuis Regis frater, & Regiæ quodammodo dignitatis particeps, ob neglectam, irrisam, & calcatam fratris legem de non transiliendo muro, à Fabio Celere Centurione rastro fertur occisus. Tit. Liuius lib. 1. Plin. de viris illustri. l. vlt. ff. de rerum diuisione. Græci ad l. penu. ff. ad l. Iuliam maiestatis.*

Sequens *maiestatis seu perduellionis iudicium*

*cium fuit in persona Horatij , ex trigeminis Horatiis superstitis & victoris: qui rediens ouans à victoria trigeminorum Curatiorum sororem , alterum ex Curatiis sibi desponsum lugentem, interfecit: Mirari video nonnullos, cur id perduellionis iudicium, ac non potius cædis, aut saltem parricidij Liuius appellet: sed si quis attentius animaduertat, comperiet fuisse illam primam maiestatis speciem ( quæ tunc perduellio dicebatur ) quæ proponitur lege prima Digestis eodem: & cuius reos Philippenses Diuinus Paulus fecit , à quibus indemnatus vinctus verberatus esset : quòd vel Dionysius apertè indicat, optimus Liuij interpres: Ait enim eum, qui sanguine ciuili suas manus polluisset, tunc pro perduelle habitum, non autem, vt quidam falsò astruunt, ait, parricidij fuisse accusatum: tametsi & parricidio id crimen esset, & sit etiam proximum , & parricidium tunc temporis ad omnem ciuis cædem , ex lege Numæ extenderetur, quæ ita cōcepta erat:* Qui hominem liberum sciens morti duit, parricida esto, *vt ait Festus, qui hauddubiè hoc iudicium de parricidio institutū cum ait,*

*euidenter ostendit homicidium hominis ciuis ac liberi ad crimen perduellionis pertinuisse: quod verius mihi videtur. Sed in ancipiti causa Rex, ad quem, more Romano, de capite ciuis ad eumusq. diem potestas statuendi erat, vt tam inuidiosum iudicium euitaret, potestatem suam populo dedit, ad quē scilicet à Duūuiris ab ipso creatis prouocatio esset. Itaque eo primum tempore, de capite ciuis populum cognoscere cœpisse, testatur Dionysius: Cum enim à Duumuiris à Rege creatis, dānatus esset Horatius, vtpote cædis manifestæ confessus, prouocauit non ad Regem, sed ad populum, à quo magis propter meritum victoriæ ab hostibus Albanis reportatæ, quàm ob ius causæ & innocentiam, est absolutus. Legem autem de perduellione hanc fuisse, ait Liuius, à Romulo ne, an à Numa, Tullo ne latā in dubio relinquens: Duumuiri Perduellonem iudicent, si à Duumuiris prouocarit, prouocatione certato: si vincent caput obnubito, infœlici arbore reste suspendito, verberato, vel intra pomœrium, vel extra pomœrium. Videtur quidem Marcus Tullius Cicero eam legem, Regi Tarquinio Superbo*

*verbo acceptam ferre, sed tamen id magis speciosè, quàm verè dictum intelligi vult, vt amplificationi institutæ seruiat: Sicuti & alio loco Orationes suas pro Dogmatibus, Regulis, & aliis multis accipi vetat. Hoc ipso iudicio, quia contra ius quodammodo absolutus est Horatius, iussit Rex cædem manifestam aliquo saltem piaculo & expiatione lui, qualem lex pro cæde inuoluntaria introducit, teste Dionisio, id est, pecunia publica, & quibusdam piacularibus sacrificiis, & sub sigillum, id est, sub iugum misso Horatio.*

Proximum *inde fuit Metij Fustij, Albanorum dictatoris iudicium proditionis seu defectionis, & hostium cõcitationis: ob quod crimen quadrigis, iussu Regis Tulli religatus, ac in diuersa distractus est: Idem scilicet passus corpore, quod animo prius agitauerat, quem inter Fidenatem Romanamq; rem, cui soli ex fœdere à se icto consulere debebat; ancipitem gesserat. Id supplicium quod fabulæ olim in Hippolitum, id est, veræ Christianorum historiæ in Hippolitum martirem exercitum tradunt, ac nostra ætas in Francisci Delphini, ac*

*Ducis Guisiani perditissimos sicarios, & maleficios repeti vidit: ait Liuius esse exempli parũ memoris legum humanarum. Adderem lubens, & conditionis, fragilitatisq; humanæ. in aliis autem gloriari licere nulli gentium mitiores placuisse pœ̃nas: quam tamen pœnæ exacerbationem, sic Virgilius excusat lib. 8. At tu dictis Albane maneres. Sed & in proditionis conscios animaduersum esse, tradit Dionysius, lege de proditoribus.*

Sequuta *est deinde Ancri regis filiorum conspiratio & insidiæ, aduersus Tarquinium Priscum Ancri successorem, quem per duos pastores ferocissimos interficiendum curarunt, regnum eo mortuo ad se rediturum arbitrati: Sed spe frustrati, cùm regnum iussu Senatus Seruio Tullo delatum esset, & sceleris ministri comprehensi, Suessam pomeriam exulatum ierunt. Liuius lib. 1. Dionysius lib. 3. in fin.*

Tarquinius *exinde Superbus Seruiũ gradibus Curiæ deiici, & domum refugientem interfici iussit: quo facto per vim sine populi iussu, sine auctoritate patrum, regnum vsurpauit, idq; in tyrannidem conuertit: eius quoque*

*vxor*

*uxor Tullia, Seruij filia super ipsum corpus trucidati patris carpentum egit. Liuius libro primo. Plin. de viris illustribus.*

Idem *Tarquinius, vt suo parricidio quæsiit, ita filij Sex. Tarquinij adulterio perdidit regnum. Nam ob stupratam ab eo Lucretiã, Regij iuuenes, inter quos Iunius Brutus erat, in exitium regum coniurarunt, Bruto qui cultrũ ex Lucretiæ vulnere extractum tenebat, Iusiurandum præeunte, se, L. Tarquinium Superbũ, cum scelerata coniuge Tullia, & omni liberorum stirpe, ferro, igni, & quacunque vi posset exacturum, nec alios, nec quenquam regnare Romæ passurum. Hi itaque Romæ, conuocata multitudine perfecerunt, vt populus imperium regi abrogaret, exulesque esse iuberet L. Tarquinium cum coniuge ac liberis. Hocq́; exilio necem Lucretiæ vindicarunt.*

Sed *cùm de reducendis in vrbem regibus, Bruti fratrisq́; eius filij cum Aquiliis & Vitellis coniurassent ( quippe luxu & libidine regia, cùm liberis regis viuere soliti ) Brutus eos virgis cæsos securi percussit. Nam pœnæ capiendæ de suis liberis ministerium con-*

*sulatus imposuit. Liuius libro secũdo. Plinius, de viris Illustribus, de Bruto. Seruo quoq; Vitelliorum, totius rei indicij, cui Vindici nomẽ fuit, præmium dedit, pecuniam ex ærario, libertatem & ciuitatem dedit. Vindicta ab eo dicta, qua idcirco qui liberantur, in ciuitatem accipi videntur. Romanis qui cum tyranno aufugerãt liber reditus, intra viginti dies datus, ni intra eum diem redirent, perpetuum exilium, cum bonorũ publicatione indictum. Dionys.*

Bruti *illius collega in consulatu Pub. Valerius Poplicola leges populares tulit, de prouocatione aduersus magistratum, ad populum, sacrandoq; cum bonis, capite eius, qui regni occupandi consilia inisset. Liuius libro secundo.*

Mucius Scœuola *veniam transfugiendi ad hostium castra, vt præclarum facinus patraret, à Senatu petiit ne traheretur vt transfuga. Liuius libro secundo.*

Post Tarquini *mortem & bellum graue cũ Etruria positum, cum seruili imperio patres iam plebem exercerent, de vita atque tergo, regio more consulerent, agro pellerent, & cæteris*

*ex-*

*expertibus, soli Imperio agerent: his & aliis sæuitiis, & maximè fœnore oppressa plebs, cùm assiduis bellis & tributum simul & militiam ageret, armata montem sacrum (vt Liuius & Pomponius leg. 2. de orig. Iuris) vel Auentinũ, vt Piso & Sallustius malunt, insedit, ibiq; Tribunos Plebis & alia iura sibi parauit. Hæc prima fuit secessio, cuius auctor maximè fuit Sicinius. Non dubium est autem hanc esse speciem læsæ maiestatis, qualis ferè refertur l. 1. in fi. ff. ad l. Iul. maiestatis. Sed hanc & cæteras secessiones plebis, non tam graues esse putant, quàm Gracchorum, Lepidi, Sullæ Marij & ceterorum seditiones, aut Catilinæ & seruilium coniurationes. Harum ideo colore, se defendere conatur Catilina apud Sallustiũ. Sæpe (inquit) ipsa plebs, aut dominandi studio peruicta, aut superbia magistratuum armata, à patribus secessit. Existimo tamen post hãc secessionem reconciliatam, latum, scitúmue fuisse, ne cui fraudi esset, vt in secunda secessione, de qua postea.*

Coriolanus, *cùm ob sæuitiam in plebem absens damnatus esset, in Volscos exulatum a-*

*biit. & cum his bellum patriæ intulit, & eos aduersus ciues suos concitauit, omisso bello, vt proditor occisus est. Plin. de viris illustribus. Liuius lib. 2. ait Fabium scribere vsque ad senectutem vixisse dicentem, multo miserius seni exilium esse. Dionysius ait eum per factionē Actij Tullij ducis Volscorum apud Volscos lapidibus obrutum esse.*

Sp. Cassus *Consul legem Agrariam promulgauit primus, hanc viam ad tyrannidem adfectans, hancq; regni mercedem sociis & plebi ostentans. Itaque cum primum magistratu abiit, damnatus necatusq; est, vel priuato & paterno iudicio, à quo verberatus veritatis eruendæ causa, necatusq; est peculio Cereri consecrato, vel publico populi iudicio de perduellionis dicta, dirutis publicè ædibus, è saxo Tarpeio deiectus est. Valerius lib. 6. cap. 3. Senatus pop. que Romanus non contentus, capitali eum supplicio afficere interempto domum superiecit, in solo autem eodem Telluris fecit: sed Senatus liberos eius, qui à morte aut exilio, aut infamia, ob scelus vnum patris, aut perdullionem, liberi sustinerent, durasse ad sua vsq; tēpora,*

pora,

*pora, quibus qui eum dissoluere conati sunt proscriptorum à Sylla filios arcentes honoribus, non impuniti à Diis fuerunt, inquit, in summam miseriam delapsi, & omni mascula sobole in posterum orbati.*

*Græcos contrario iure regi, apud quos liberi damnatorum aut vnà interficiuntur, aut in perpetuum exilium mittuntur, quasi natura non ferat, vt boni ex malis, aut mali ex bonis nasci videantur.*

Ap. Herdonius *seruos & exules ad libertatem reuocans, Capitolium occupauit, vbi & interfectus est, & multi ex eius coniuratis viui capti, & ita Capitolium receptum. Liuius. lib. 3.*

Decemuiri *ferendarum duodecim tabularum causa creati, cùm complura impotenter fecissent, magistratum noluerunt deponere, & in tertium annũ retinuerunt, & priuati, fasces & regium imperium habuerunt. Apius etiam ad hæc intollerabilem iniuriam ac infamem in filiam Virginij adiecerat, vnde discessio exercitus, secessioq; plebis in Auentinum orta est, quæ tamẽ ne cui fraudi esset Senatus cen-*

*ſuit.* *Idem à ſignis & plebs ſciuit.* *Sed reſtituta Tribunitia poteſtate, & conſulatu & plebe reconciliata, Virginius tunc Tribunus plebis diem Apio dicit, maieſtatis (vt puto) accuſat, quòd contra leges à ſe poſitas decreuiſſet, & dediſſet vindicias ab libertate in ſeruitutẽ, ſed is in carcere ſibi mortem conſciuit* * *vt & alius ex collegis, cæteri, exilij cauſa ſolum verterunt, bona publicata ſunt.*

* *Plinius de viris illuſt. & Pomponius de origine Iuris, necatum in carcere tradunt.*

Sp. Melius *largitione frumenti, regnum adfectans, à Seruilio Ahala magiſtro Equitum eſt obtruncatus, quòd & præter regni crimen, ad Dictatorem vocatus à magiſtro militum, non veniſſet, domus eius ſolo æquata. Id Æquimelium appellatum. Liuius libro quarto, Plinius libro de viris Illuſtribus. Lucius Municius index boue aurata donatus.*

Anno *vrbis 336. Seruitia coniurarunt, vt vrbem incenderent, & Capitolium occuparent, Sed indicio duorum comprehenſi ſontes, pœnas dederunt indicibus dena millia grauis æris, ex ærario numerata, & libertas præmium fuit. Liui. lib. 5.*

Quidam *authores (vt ait Liuius) tradũt*

*Duum-*

*Duumuiros creatos, qui de perduellione Manlij Capitolini iudicarent, & damnatum de saxo Tarpeio deiectum esse, adiectis notis, publica vna vt domus eius in Capitolio nunquàm à quoquam patricio inhabitaretur, gentilitia altera, ne quis deinde gentis Manliæ Marcus* **Manlius vocaretur. Liuius lib. 6. Valerius capite Tertio sexti.* *Capitoli. scribit.

Furio *Camillo non tam iniquitas prædæ diuisæ quàm albentes quadrigæ triste exilium Ardeaticum peperere, qua damnatione, quasi adfectatæ tyrannidis, populus ingrati crimen non vitauit. Symmachus lib. 1. epist. Plin. de viris illustribus. Valer. lib. 5. cap. 2. Dio. lib. 62.* Plinius de viris illustribus.

Quintus *Fabius, magister equitum vetitus à Dictatore contra Samnites pugnare, prospere pugnauit, eam ob rem Dictator, cùm de eo supplicium sumere vellet, Fabius Romam perfugit, & cùm causa parum proficeret, precibus populi donatus est. Liuius libro octauo Plinius de viris illustris, cap. 31.*

Vltima *plebis secessio in Ianiculum fuit, propter æs alienum, post graues & longas seditiones. vnde à Q. Hortensio Dictatore deducta*

*est: & lege ab eo lata plebiscita pro legibus valere cœperunt. Instit. de iure naturali. Florus epitome Liuij lib. xi.*

Titus *Manlius Torquatus Consul, bello Latino, filium suum quòd contra Imperium pugnasset, securi percussit. Plin. de viris Illustribus.*

Claudia *soror Claudij pulchri, qui contemptis auspiciis malè pugnauerat, reuertens à ludis, cùm turba premeretur, dixit: vtinam frater meus viueret, iterumq́; classem duceret: ob eam causam mulcta ei dicta est. Florus epitome lib. 19. Titi Liuij. Sueton. in Tiberio. Gel. lib. 10.*

Himilco *dux Carthaginensium, victus Carthaginem fugit, & à Senatu Carthaginēsi petiit quid faciendum censerent, omnibus, vt pugnaret, adclamantibus: Feci (inquit) & victus sum: sic pœnam crucis effugit. Nam apud Pœnos dux malè gesta re, puniebatur. Pli. de viris Illustr.*

Post *cladem Cannensem, cùm à nobilibus adolescentibus consilium de relinquenda Italia iniretur, Publius Cornelius Scipio Tribunus militum, Africanus postea dictus, stricto*

*super*

*super capita deliberantium ferro , iurauit se pro hoste habiturum eum, qui in verba sua nō iurasset, effecitq́, vt omnes non relictum iri à se Italiā iureiurādo adstringerētur. Liuius li.22.*

Manlium *Statilium transfugere ad hostes volentem, equo & armis donatis, retinuit Q. Fabius Maximus Cunctator. Plin. de vir. Illust. ca. 43.*

Mancinus *auctor Tib. Graccho quæstore in leges hostium, fœdus percussit, quo per Senatum improbato, Mancinus Numantinis deditus, nec receptus , augurio in castra deductus, præturam postea consequutus est.*

Cùm *Senatus Campanorum ob defectionem deligatus esset ad palos , vt securi feriretur, literas à Senatu missas Q. Fuluius proconsul, quibus iubebatur parcere, antequam legeret, in sinu posuit, & lege agi iussit, & suppliciū peregit. Liuius lib. 26.*

Ti. *Gracchus Trib. Pl. legem tulit ne quis plus mille agri iugera haberat. Octauio collegæ intercedenti, nouo exemplo, magistratum abrogauit. Sic Triumuir creatus diuidendis agris, cùm prorogare sibi potestatem vellet, ad-*

*uersis auspiciis in publicum processit, statimque Capitolium petiit, plebemq; ad defensionẽ salutis suæ manu caput tangens, hortatus, præbuit speciem regnum sibi & diadema poscentis, atque ita duce Scipione Nasica, concitato in arma populo, quasi iure oppressus est. Eius corpus Lucretij Ardilis manu in Tiberim missũ,* * *vnde ille* Vispillo *dictus. Nasica, vt inuidiæ subtraheretur, per speciem legationis in Asiam ablegatus est. Liuius lib. 58. Pli. de viris Illust. Flor. lib. 3. cap. 14.*

*Forte legendum est Bispalio. 1.*

νεκροθάπτης.

C. Marticnus *accusatus est apud Trib. plebis quòd exercitũ in Hispania deseruisset, damnatusq; sub furca diu virgis cæsus est, & sestertio nummo veniit. Liuius lib. 55.*

Seditiones *à Triũuiris F. Flacco, G. Graccho & C. Carbone agro diuidundo creatis excitatæ, Gracch. fretus comitum, manu fatale familiæ suæ Capitolium inuasit, ab Opimio cõsule oppressus est: insultatum quoque mortuis reliquiis & illud sacrosanctum caput Tribuni plebis, percussoribus auro pensatum est. Liuius lib. 59. & 61. Flor. lib. 3. cap. 15. L. Opimius accusatus apud populum à Q. Decio Trib. plebis,*

*bis, quòd indemnatos ciues in carcerem coniecisset, absolutus est. Liuius lib. 61.*

Seditio *denique Apuleiana, Drusianaq́; à Floro Appiano, &c. prolixè explicatur. Vt & bella socialia & seruilia ab eodē Floro, & Spartacum bellum, bellaq́; ciuilia, Marianum, Syllanum, Cinnacum, Sartorianum ciuile sub Lepido Cæsaris, & Pompeij, Octauij Lepidi, & Antonij Bruti & Caßij, & Sex. Pompeij, quæ sigillatim referre nimis longum, nimisq́; superuacuum fuerit.*

Memorabile *quoque vindicatæ diuinitus rebellionis exemplum est in sacris literis, De Core, Dathan, & Abiron, quos imperium Mosis detrectantes, terra dehiscens absorbuit, & vorauit, in infernum viuos deducens, cum tabernaculis, & vniuersa substantia.* Num. 16.

Sed *nunc ad coniurationes Romanas veniendum. Catilinæ coniuratio prior breuiter à Sallustio perstringitur, quia quod nimium is properasset signum dare antequam frequentes armati conuenissent, ea erumpere non potuit. Huius coniurationis participes Crassum & Cæsarē dicere videtur Suetonius in Iulio Cæsare, cap. 9.*

Posterior *coniuratio sic erupit. Cæsare & Figulo Coss. Catilina patritius conuocatis xi. Senatorum ordinis viris (ex quibus Lentulus & prætor erat) & IIII. equitib. Romanis, consilia sua aperit, vt interficere consulem, & se consulem gerere, incēdere vrbem, donare prouincias, tabulas nouas, proscriptionem locupletum, magistratus, sacerdotia instituerit. Fit coniuratio, & omnium iureiurando firmatur. Eam prima detexit Fuluia, per quam deinde Cicero effecit vt Q. Curius, Fuluiæ stuprator particeps & ipse coniurationis, consilia omnia Catilinæ ad Ciceronem deferret, illectus præmiis à consule promissis, & præter hæc impunitate. Sed & insidias in ipsius Ciceronis caput paratas, vt sub specie salutandi domi manè eū occidere decreuissent, ipsi patefecit. Cicero initio nihil horum in publicum effert, sed cognito Manlium iam in Etruria homines solicitare & cogere, rem tam vulgi rumoribus agitatam in Senatum defert. Senatus decernit,* Dent operam consules, ne quid respublica detrimēti capiat. *Quo Senatus Consulto maxima potestas Consuli per-*

Primum Sen. Consul.

*permittitur, bellum gerere, de capite ciuis iudicare, domi militiaq; imperium & iudicium summum habere, aliter, sine populi iussu, nulli harum rerum Consuli ius est. Indici prætereà præmium decernitur, seruo, libertas, & sestertia centum, libero, impunitas, & sestertia ducenta millia. nemo tamen ex tam populosa ciuitate, quamuis pleriq; scirent, tantum scelus patefecit, nec ex castris Catilinæ quisquam omnium discessit. Senatus, lectis literis Catuli, auditaque eius ad Manliana castra profectione, cum fascibus & cæteris Imperij insignibus;* Catilinam & Manlium hostes iudicat. *cæteræ multitudini diem statuit, antequàm liceret sine fraude ab armis discedere, præter rerum capitalium damnatos. Decernit etiam vt Consules delectum habeant.* Sentētia Sen.

*Allobroges primum, indicium profitentur se ad belli societatem per Lentuli literas inuitatos, quas Cicero intercipi, & sibi reddi curat. Has in Senatum simul & earum latores adducit: signa à Lentulo, & aliis coniuratis recognoscuntur: ita palā conuictos & confessos, pronūciat Senatus* contra remp. *fecisse eosq;* Aliud Sen. Consul.

*in liberas custodias dimitti iubet. Legatis Allobrogum ob verum indicium præmia decreta. L. Tarquinij indicium (quia Cæsarem inter coniuratos nominauerat,) vt falsum, reiectū: isq; eo nomine in vinculis retentus. Iterum Cicero conuocat Senatum, rogans quid fieri placeret de his qui in custodiis erant, sententiis variè dictis, in Catonis itum est. De confessis sicut de manifestis rerū capitalium, more maiorum, supplicium sumendum. Itaq; instanti nocte Cicero Lentulum & socios in carcerem curat deduci, eisq; per Triumuiros capitales laqueo gulam frangi, tametsi more maiorum puniri, sit nudi hominis ceruicem inseri furcæ, corpus virgis ad necē cædi. Suetō. in Nerone. ca. 49. Sex. Aurel. Victor in Nerone. Catilina verò nefariè contra rempub. armatus, in acie à iustè armato populi exercito, cum reliquiis coniurationis trucidatus est.*

## Coniuratio in Cæsarem.

Conspiratum *est in C. Iulium Cæsarem, perpetuum Dictatorem à sexaginta amplius,*

*C. Caf-*

*C. Caßio Marcoq; ac Decio Bruto Principibus conspirationis, qui omnes in curia Pompeij specie officij eum circumstantes, per Cimbrũ Tullium & Cascam sicarios interfecerunt. Fuerat animus coniuratis, occisi corpus in Tiberim trahere, bona publicare, acta rescindere, sed metu Antonij Consulis, & Lepidi magistri equitum destiterant, percussorum ferè neq; triẽnio quisquam amplius superuixit, neque sua morte defunctus est. Damnati omnes, alius alio casu periit, pars naufragio, pars prælio, nõnulli semet eodem illo pugione, quo Cæsarem violauerant, interemerunt. Sueto. in Iulio ca. 80. & seq. & ca. vlt.*

## Coniurationes in Auguſtum.

Coniurationes *diuersas priùs quàm inualescerent, indicio detectas compreßit, alias alio tempore. Lepidi Iuuenis, deinde Varronis, Murenæ, & Fannij Cæpionis, mox M. Egnatij & ceterorum. Nam nec vltimæ quidem sortis hominum conspiratione & periculo caruit. Sueto. in Aug. c. 19.*

## Coniurationes in Gaium Caligulam.

*Vna aut altera coniuratione aduersus eum detecta, aliis cunctātibus, duo consilium communicauerunt, perfeceruntq́ non sine consciētia potentissimorum libertorum, præfectorūq́ prætorij. Cumq́ placuisset Palatinis ludis spectaculo egressum meridie aggredi, primas sibi partes Cassius Chærea Tribunus cohortis scortoriæ depoposcit. Is ceruicem gladio cæsim grāuiter percussit: dehinc Cornelius Sabinus, alter è coniuratis Tribunus, ex aduerso traiecit pectus. Sueton. cap. 56. & 57. & 58. in Gaio.*

## Coniurationes in Claudium Cæsarem.

Claudius *& à singulis & per factionem, & denique ciuili bello infestatus est: è plebe homo nocte media, iuxta cubiculum eius cum pugione inuentus est: reperti & equestris ordinis duo in publico, cùm dolone ac venatorio cultro, præstolantes, alter vt egressum theatro, al-*

*ter vt sacrificantem apud Martis ædem adoriretur. Conspirauerant autem ad res nouas, Gallus Asinius & Statilius Coruinus Pollionis ac Messalæ oratorum nepotes, assumptis plurimis libertis ipsius atq; seruis. Bellum ciuile mouit Furius Camillus Scribonianus, Dalmatiæ legatus: verùm intra quintam diem oppressus est Suet. in Claudio. c. 13.*

## Defectio à Nerone.

Neronem *tyrannum perditissimum perpessus orbis terrarum, per quatuordecim annos tandem destituit, initium facientibus Gallis, duce Iulio Vindice, qui tum eam prouinciam pro prætore obtinebat. Galba deinde cum tota Hispania desciuit. Postea quoque nunciata ei est cæterorum exercituum defectio. Nouissimè etiam Senatus hostem eum reipub. iudicauit, & quæsiit vt puniretur more maiorum: & cùm ei quid hoc esset, ambigenti, dictum esset, nudi hominis ceruicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi, conterritus, duos pugiones quos secũ tulerat, arripuit, & vi*

*senſit adeſſe equites, qui eum attraherent viuum, vt præceptum erat, ferrum iugulo adegit, iuuante Epaphrodito à libellis. Sueton. in Nerone cap. 40. 42. 47. 49. Sext. Aurel. Victor in eodem.*

## Coniuratio in Galbam & Vitellium.

Ottho *Senator indignatus quòd Galba Piſonem Iuuenem adoptaſſet, & Cæſarem deſignaſſet, in necem Galbæ coniurat cum multis, & eum ſexto poſt die iugulandum curat. Sueton. in Galba cap. 17. & 20. Xiphili. in Galba, qui & Piſonem tum quoq; interfectum eſſe ait. Otthone mortuo, Vitellius inuaſit principatū: contra quem Veſpaſianus, qui contra Iudæos bellum gerebat, Mucianum in Italiam miſit: poſt multas inſidias & aggreſſiones, tandem apud Gemonias minutiſſimis ictibus excarnificatus eſt, & vnco in Tiberim tractus. Suet. in Vitel. Dio. Xiph. in eodem.*

## Coniuratio in Domitianum.

Ob multas *crudelitates, terribilis cunctis*

*& inuisus Domitianus, tandem oppressus est; amicorum libertorumq́ intimorum conspiratione, simul & vxoris. Stepha. Domicillæ, eius vxoris procurator, professus conspirationis indicium, & ob hoc admissus in cubiculum circa horam sextam noctis, legenti traditum à se libellum, & attonito, suffodit inguina. Saucium ac repugnantem adorti Clodianus Cornicularius, & Maximus Parthenij libertus, à Parthenio immissus: & Saturius decurio cubiculariorum, & quidam à gladiatorio ludo vulneribus septem contrucidauerunt. Sueton. in Domitia. ca. 14. & 15. Sex. Aurel. in eodem: postea sub Nerua quamuis eo prohibente, milites Petrouium vno ictu, Parthenium verò demptis prius genitalibus, & in os coniectis, iugulauere.*

## Coniurationes in Neruam.

Crassus *Calphurius in Neruam coniurauerat. Hunc cum cæteris coniuratis dum ludi ederentur, aßidere iuxta se voluit. & nesciẽtibus patefactam coniurationem gladios obtu-*

*lit, vt pertentarent satísne acuti essent, significans non multùm sibi curæ esse, si vel tunc ab illis interficeretur. Sed & Ælianus Casperius PP. tumultuantes prætorianos aduersus Neruam concitauit hoc consilio, vt per speciem vltionis quosdam eorum, ceu hostes Cæsaris, ad mortem posceret. Sed Nerua adeò restitit, vt denudato collo iugulum confodiēdum porrigeret, &c. Xiphilin. in Nerua.*

## Coniurationes in Hadrianum.

Hadrianus *initio Imperij Palmam, Celsum, Nigrinum & Lusium occidi voluit, quia in venatione illi insidias struxisse dicebantur. Dio. in eodem.*

## Coniurationes in Pium.

Publicationes *bonorum rariores sub eo, ita vt vnus tantùm proscriberetur affectatæ tyrannidis, hoc est Attilius Titianus, Senatu puniente, à quo conscios requiri vetuit, filio eius ad omnia semper adiuto. Periit & Prisci-*

*cia-*

*sianus reus affectatæ tyrannidis, sed voluntaria morte. De qua coniuratione quæri vetuit Capitolinus in Pio.*

## Coniurationes in Marcum.

Antoninus *non est satis motus defectione Cassij, nec in affectus eius sæuiit: quamuis ille à Senatu hostis esset iudicatus, bonis publicatis, sed & caput eius humari iussit. Metianũ tamen filium Cassij, cui Alexandria erat commissa exercitus occidit: in conscios defectionis vetuit grauiter vindicari: simul petiit ne quis Senator, tempore principatus sui occideretur, ne eius pollueretur Imperium. Capitol. in Marco. Ignouit & ciuitatibus quæ Cassio consenserant, & Antiochensibus, qui multa in Marcum pro Cassio dixerant: indulsit eodem modo & Alexandrinis: ipsum Cassium pro clementia occidi passus est, non occidi iussit. Deportatus est Heliodorus filius Cassij, & alij liberum exilium acceperunt, cùm bonorum parte: filiæ autem Cassij & amplius media parte acceperũt paterni patrimonij, & auro atq; argento adiu-*

*tæ, mulieres autem etiam ornamẽtis: ita vt Alexandria filia Caßij, & Druncianus gener, liberam vagandi potestatem haberet. Doluit deniq; Caßium extinctum, dicens, voluisse se sine senatorio sanguine Imperium transigere. Capitolinus in Marco. Vulcatius Gallicanus in Caßio. Sed Drunciani bona fisco post mortem vindicari voluisse Marcum dicit Paulus l. 6. C. hoc titulo.*

## Coniuratio in Commodum.

Crudelitas *vitæ Commodi, Quadratum & Lucillam compulit ad eius interfectionem consilia inire, non sine præfecti prætorio Tarrutini Paterni consilio. Datum est autem negocium peragendæ necis Claudio Pompeiano propinquo, qui ingressus ad Commodum, districto gladio, cùm faciendi potestatem habuisset, in hæc verba prorumpens: Hunc tibi pugionem Senatus mittit, detexit facinus fatuus, nec impleuit: multis cùm eo participantibus causam. Lamprid. in Commodo. Nouißimè Q. Ælius Lætus præfectus, & Martia concubina,*

*cubina, per venenum & * athletam strangulauerunt. Lampridius, ibidem Statuæ abolitæ, nomen à publicis priuatisq́ monumentis erasum. Sex. Aurel. Victor.*

* *Huius athletæ nomen fuit Narcissus, quem Seuerus Leonibus obiecit. Spart.*

## Coniurationes in Pertinacem.

Insidias *parauit ei Falco, volens imperare, de quo conquestus est in Senatu, quod quidẽ Senatus credidit. Sed Pertinaci factio præparata est per Lætum præfectum Prætorio, & eos quos Pertinacis sanctimonia offenderat. Lætum enim pœnituerat, quòd Imperatorem fecerat Pertinacem. Trecenti armati de castris ad Imperatorias ædes venêre cuneo facto: tantùm autem omnium aulicorum in Pertinacẽ odium erat, vt ad facinus milites hortarentur: ad eos compescendos Lætus PP. missus, eis declinatis adoperto capite domum se recepit: Pertinax cùm ad eos processisset, graui oratione ferè placarat, cùm Tausius quidam hastam ei in pectus obiecit. Tunc ille precatus Iouem vltorem, toga caput operuit, atq; à cæteris confossus est. Caput eius conto fixum, milites qui*

*eum occiderant, per vrbem in castra pertulerunt: reliquiæ eius, recuperato capite, in sepulchro aui vxoris locatæ sunt. Capitoli. in Pertinace. At Sex. Aur. Victor ait, scelere Iuliani successoris sui, multis vulneribus obtruncatũ.*

## Coniurationes in Didium, Iulianum, & ipsius in Seuerum.

Sæpe accidit *vt tibi fiat quod alteri feceris. Reus factus Iulianus coniurationis, cum Saluio contra Commodum, à Commodo (quia multos iam nobiles, ac potentes occiderat in causis maiestatis) ne tristiùs grauaretur, absolutus erat, accusatore damnato. Sed & rumor fuit Iuliani consilio Pertinacem interemptum. Ergo & cùm Imperator postea factus esset, mortuo Pertinace, ab eo Pescennius Niger in Syria, Septimius Seuerus in Illyrico, cum exercitibus, quibus præsidebant, desciuere. Addit præterea Dion. Albinum desciuisse eodem tempore in Britannia. Iulianus impetrauit à Senatu, vt Seuerus hostis renũciatetur, eiusq; militibus dies præstitueretur, vltra quem si*

*cum*

*cum Seuero fuiſſent, hoſtium numero haberentur. Miſſus eſt & Seuero ſucceſſor: miſſus & Centurio qui illum occideret. Sed cùm Seuerus ad vrbem infeſto agmine veniret, Senatum rogauit Iulianus, vt Veſtales & ſacerdotes cùm Senatu obuiam exercitui prodirent, eumq́; pro Iuliano rogarent. Sed Fauſtius Quintilianus conſularis Augur contradixit, aſſerens non debere imperare eum, qui armis aduerſario non poßit reſiſtere: cui multi Senatores conſenſerunt. Nouißimè cùm omnia conſilia de vi cogendo Senatu, & eo mutato, de participatione imperij à Senatu impetranda & Seuero, de clam interficiendo Seuero & Albino conſumpſiſſet, & Seuerus hoſtem ſe Iuliano eſſe mallet, quàm participem, breui deſertus ab omnibus eiq́; à Senatu abrogato imperio, & Seuero delato, in abditis Palatij balneis, iuſſu Senatus, vel, vt alij volunt, Seueri, extēta dānatorum modo ceruice, decollatus eſt per gregarium militem, caputq́; eius in roſtris poſitum. Spart. in Didio Iuliano. Sex. Aurel. Victor in eodem. Diony. in eod.*

## Coniurationes in Seuerum.

Niger *contra Seuerum etiam, tum Imperatorem à Senatu confirmatum rebellauit, atque ideo hostis cùm Æmiliano est appellatus. Promisit Seuerus Nigro tutum exilium si vellet, Æmiliano autem non ignouit. Itaque eius iussu occisus est. Seuerus conflixit cùm Nigro, eumq; apud Cyzicū interemit, caputq́; eius pilo circumtulit. Filios Nigri post hoc, quos suorum libertorum cultu habuerat, in exilium cùm matre misit, neq; quemquam Senatorum, qui Nigri partium fuerant, præter vnum supplicio adfecit. Antiochensibus iratior fuit, quòd & administrantem se in Oriente riserant, & Nigrum etiam victu iuuerant. Deniq; multa his ademit Neapolitanis, etiam Palestinensibus ius ciuitatis tulit, quòd pro Nigro diu in armis fuerant. In multos animaduertit præter ordinem Senatorium, qui Nigrum erant secuti.*

*Multas etiam ciuitates eiusdem partis, iniuriis adfecit & damnis. Eos Senatores occidit, qui cùm Nigro militauerunt, Ducum vel*

*Tri-*

*Tribunorum nomine. Arabes, Parthos, Adiabenos in ditionem redegit, qui omnes cùm Nigro senserant. Exorto mox alio contra Albinum ciuili bello, filios Nigri cùm matre exules occidi iussit.*

*Albinum hostem iudicauit, & qui ad illum mollius scripserunt vel rescripserunt. Albinum bello vicit.*

*Senatorum, qui in bello erant interempti, cadauera, dissipari iussit.*

*Deinde corpore Albini allato, penè seminecis caput abscindi iussit, Romamq; deferri, idq; literis prosecutus est. Reliquum cadauer eius, ante domum propriam, exponi ac diuidi iussit. Equum præterea ipse residens, supra cadauer Albini egit, expauescentemq; admonuit, vt effrenatus audacter protereret. Alij addunt quòd idem cadauer in Rhodanum abiici præcepit, simul etiam vxoris liberorumq; eius. Interfectis innumeris Albini partium viris, inter quos multi principes ciuitatis, multæ fœminæ illustres fuere, omnium bona publicata sunt, ærariumq; auxerunt, tum Hispanorum & Gallorum proceres multi occisi. Denique,*

*totum genus Albini extinxit. Spartianus in Seuero.*

## Coniuratio in Getam.

Baſſianus *alter ex Seueri filiis, fratrem Getam in palatio fecit occidi, poſt patris mortem, cõqueſtus apud milites ſe eius inſidiis circumueniri, & ſibi ab eo venenum parari: dicẽtibus cunctis ſe duobus fidem promiſiſſe liberis Seueri, duobus ſeruare debere, Papinianum iuris aſylum, & doctrinæ legalis theſaurum, vnà cum filio, quòd parricidium excuſare noluiſſet, in conſpectu ſuo occidi iuſſit, & præfectum quidem ſuum, ne homini per ſe & per ſcientiam ſuam magno, deeſſet & dignitas. Spartia. in Seuero & Baſſiano. Ob illam cauſam, quia imperator ab hominibus puniri non poterat, furore pœnas dedit Dirarum inſectatione, quæ non immeritò vltrices vocantur, à quo pòſt furore conualuit. Sex. Aurel. Victor in Caracalla.*

Con-

## Coniuratio in Baſſianum, Antoninum Caracallam.

Baſſianus *cùm ad requiſita naturæ, ſeu officia naturalia ſeceſſiſſet, inſidiis à Macrino PP. poſitis, qui poſt eum inuaſit imperium, interemptus eſt. Conſcij cædis fuerunt Nemeſianus & frater eius Apolinaris, & pleriq; officialium, cùm ex equo, leuandæ veſicæ cauſa, deſcendiſſet, atq; inter protectores ſuos coniuratos cædis ageret: itaq; euenit quòd Papinianus prædixerat, cùm ad mortem raperetur, ſtultiſſimum fore, qui in ſuum locum ſubrogaretur, niſi adpetitam crudeliter præfecturam vindicaret. Spartianus lib. eod.*

## Coniuratio in Macrinum.

Cùm *Macrinus, cum Diadumeno filio ab exercitu eſſent creati Imperatores, ab eodem exercitu, anno ſequente obtruncati ſunt, eò quòd Macrinus militarem luxuriam, ſtipendiaq; profuſiora comprimeret.*

## Coniuratio in Heliogabalum seu Pseudentonium, & Sardanapalum.

Heliogabalus *tumultu militari occisus est, corpus more canis à milite tractum est, & nouissimè in Tiberim proiectum, adiecto pondere ne vnquam emergeret. Sex. Vict.*

## Coniuratio in Seuerum.

Alexander *occiditur Magonciaci tumultu militari. Sunt qui à Maximino immissos tyrones dicant, qui eum cum matre occiderent. Is cùm se deseri à stipatoribus suis videret, occurrenti percussori ceruices suas præbuit. Victor. Lampr.*

## Coniuratio in Maximinos.

Apud *Aquileiam seditione militum discerptus est Maximinus pater, vnà cùm filio, cùm primus ex corpore militari sine Senatus authoritate ab exercitu Imperator electus esset.*

*set.*

*ſet. Vict. Euſ.chroni. Huius imperio Gordiani pater & filius principatum arripientes, vnus poſt vnum interière. Pupienus etiam & Balbinus regnũ inuadentes perempti ſunt, & in palatio occiſi, ingreſſo Romam Gordiano Euſeb.chr.Victor.*

## Coniuratio in Philippos.

*Ambo tumultu militari & fraude Decij, alter Verona, alter Roma interfecti. Oroſ. li.7. cap.20.Euſeb.chronic.*

## Coniuratio contra Decios, Gallum & Voluſianum.

Decius *cùm filio in medio Barbarorum ſinu interfectus. Gallus & Voluſianus dum contra Æmilianum res nouas molientem bellum exercent, occiſi ſunt. Oroſ.lib.7.ca.21. Euſeb.chr.Sex.Aur.Victor.*

## Coniurationes contra Galienum & Valerianum.

Sub *his Principibus triginta Tyranni con-*

*tra Imperatores legitimos rebellarunt, quorũ vitas scripsit Trebell. Poll.*

Coniurationes contra Aurelianum.

*Is fraude serui sui ab amicis suis interfectus est, metu falsarum literarum, Victor.*

Coniuratio in Probum.

Hic *Sirmio in turre ferrata, militari tumultu occiditur. Oros. lib. 7. cap. 24. Victor. Saturninus tyrannus ab eo oppressus, vt & Proculus & Bonosus. Oros. Euseb.*

Coniuratio in Numerianum.

Numerianus *fraude Apri soceri, per insidias est occisus. De quo Apro postea Diocletianus supplicium sumpsit.*

Coniurationes in Diocletianum, seu Imperium Romanum, seu quietem Galliarum.

Diocle. *rusticorum multitudine oppressa, quæ factioni suæ Baugaudarum nomen indiderat pacem Gallis reddidit. Idem Carausium, qui sumpta purpura Britannias occuparat. Item Achilleum qui in Ægyp. Narse: qui in Orien. quinquagentianos; qui in Afric. rebellabant, auxilio Cæsarum sibi assumptorum compescuit. Euf. ch. Oros. li. 7. ca. 25.*

*Al. Bagaudarū. quidam hoc verbum significasse tumultū, putant.*

## Coniurationes Arrianorum in Catholicos, Principes, & Ecclesiam atq; Sacerdotes.

Ex quo *tempore Constantius tertius, inter liberos Constantini Augustus, in hanc hæresim delapsus est, impietas Arriana illius præsidio fulta exiliis carceribus, & variis afflictionibus, primùm Athanasium, deinde omnes non suæ partis Episcopos persecuta est. Eusebius chronic. Iisdem ferè temporibus Vetranio & Nepotianus contra Imperatores rebellarunt, & dignum factis exitum inuenerunt, proscriptis eorum consciis. Sed & Syluanus in Gallia res nouas molitus extinctus est. Omnes penè toto orbe Ecclesiæ, sub nomine*

*pacis, & regis Arrianorum consortio polluuntur. Idem Euseb. Anno etiam xii. Theodosij imperij, Eutrop. consul in magistratu ob eandem causam occisus est, & nomen eius fastis erasum. Socrat. lib. 6. c. 5. Ecclesiast. hist.*

## Coniurationes sub Valentiniano & Valente, & Theodosio.

Procopius *qui apud Constantinopolim hoc tempore tyrãnidem inuaserat, apud Phrygiem salutarem extinctus est, & plurimi Procopianæ partis cæsi atque proscripti. Hierony. in Chronic. appen. Sed & Firmus qui apud Mauritaniam regnum inuaserat, extinctus ope Theodosij, in Imperij subsidium acciti. Sext. Aurel. Victo. Oros. lib. 7. c. 33.*

*Eo tempore Maximus apud Britanniam tyrannide arrepta in Gallias trãnsmisit, Gratianum extinxit: quem Theodosius postea vltus interfecit cum Victore eius filio. Eugenium etiam tyrannum & Arbogastem idem Theodosius superauit. Sex. Aurel. Victor.*

Con-

## Coniurationes contra Archadium & Honorium pueros Augustos.

Gildo *Comes minimam in paruulis spem fore ratus, Affricam in ditionem suam asserit hîc à fratre contra se misso superatus, strangulatus post aliquot dies est.* Rufinus *Orientalis aulæ tutor tyrannidem affectans, occisus. Stilico filio suo Eucherio Imperium procurans similem reperit exitum, vnà cùm filio Eucherio. Anno xi. Imperij Theodosij Iunioris, Herodiani illius anni Consulis memoria, ob crimen perduellionis damnata fuit, eo in magistratu occiso, & nomine eius fastis eraso. Hinc fit vt l. 6. C. de iurisd. Lucium tantùm subscriptum habeat.*

## Coniurationes omnium gentium aduersus Imperium maximè occidentale.

Saxones, *Vuandali & Alani Galliarum partem, quòd reliquum est, Constantinus ty-*

*rannus, post Gratianum tyrannum obsidebat, ipsa denique orbis caput Roma, depradationi Gotthorum fœdissimæ patuit. Prosper Chronic. hoc tempore diuersi tyranni exorti sunt, Gerontius Comes, Maximus, Iouinus cum fratre Sebastiano, Atauulfus, Sallustius, Alaricus, Heraclianus Comes Africæ: Ioannes ex primicerio Notariorum. Oros. Prosper Chronic.*

* Gallia *vlterior * Batonem Principem rebellionis secuta, à Romana societate discessit, à quo tracto initio omnia pene Galliarum seruitia in Bagaudam conspirauêre: sed sequente anno capto Batone & cæteris seditionis Principibus victis vel necatis, Bagaudarum commotio conquiescit. Prosper Chronic. Vtinam in Gallia non iterum suscitati essent Bagaudæ. Attila Gallias vt proprias vindicat, graui clade accepta tandem recedit.*

*Sunt adhuc apud Bituriges quidam huius nominis superstites qui ab Istóne ortum habuerint, affirmare non ausim.*

Aetius *etiam & Maximus in Valentinianum exarserunt, post quorum exitum, capta Roma est à Genserico: sed Ætio fraude Maximi iam perierat: Valentinianus dolo Maximi truncatus: hic Maximus tertio tyrannidis suæ mense, membratim à populo Romano est discer-*

*cerptus & in Tiberim deiectus.*

Auitus *in Galliis assumit Imperium, qui deinde Placentiæ captus est à magistro militũ Ricimere. Leuatus est etiam Imperator Maioranus, vt in chronicis manuscriptis notatur: quo Maiorano immißione Ricimeris occiso, Seuerus in eius locum Imperator substituitur: qui quarto Imperij sui anno fraude etiam Ricimeris peremptus est. Leuatus est Imperator Anthemius. Seruandus Gallorum præfectus Imperium tentans inuadere, iussu Anthemij perimitur: anno sequente Romanus similiter Imperium adfectans capite cæsus est. Aspar adfectans tyrannidem Constantinopoli à Leone Imperatore occiditur, cum Ardabure & Patritiolo filiis. Bellum deinde ciuile gestum est Romæ inter Anthemium Imperatorẽ & Ricimerem: Anthemio occiso, loco eius Olybrius, eo adhuc viuo, leuatus est Augustus: qui etiam Gundibaldum Rauennæ fecit Imperatorem, eodemq́; Gundibaldo hortante Glicerius (aliâs Lucretius, aliâs Licerius, aliâs Liarius) plus præsumptione quàm electione Cæsar factus est. Anno deinde sequenti Nepos patri-*

*cius, Lucerio expulso & Episcopo Salonis ordinato, Imperium arripuit. Leone Imperatore mortuo, & Zenone Imperante, Orestes pater Augustuli, Nepotem Imperio expulit, & filium suum Augustulum Imperio præfecit. Sequenti anno ab Odoacre occupatur Italia & Imperiũ, & Orestes cum fratre Paulo necatur. Odoacer nomen Regis adsumpsit, Augustulum in exiliũ misit. Hic Imperatorum Romanorum veteris Romæ finis fuit, Gotthorum dehinc regibus Romam obtinẽtibus: regnat Odoacer nullo inquietante 14. annis. Paul. Diac. Iornandes: Comes Marcellinus: Sigebert. &c.*

Theodericus *Rex regnum Italiæ sibi à Zenone donatum, vt sibi retineret, vt Gotthi scribunt & pleriq; Historici, seu vt legitimo Imperatori, id est ipsi Zenoni seruaret & restitueret, vt Balisarius ait apud Procopium in Gottichis, Odoacrum quarto certamine superauit: & eum in fide susceptum truculenter peremit.*

Eodem *Zenone imperante Ilus & Leontius tyranni effecti in partibus Siriæ & Isauriæ debaccabantur: sed non multò post ab exer-*

*citu*

*cituZenonis capti, decolatiq; sunt, & capita eorum Constantinopolim allata, præfixaq; hastilibus, tabuêre.*

## Coniurationes contra Regem Francorum.

Leone *imperante, Franci contra Regem suum Hildericum Merouei filium, quod filias eorum insolenter & luxuriosè constupraret, regno deturbant. Qui data aurei medietate amico suo Vindiomaro, reconciliationis speratæ symbolo, apud Basinum Thoringorum Regem latuit annis octo. Franci verò Egidium ducem Romanorum, Regem sibi præficiunt: sed cum Francos plus iusto hic opprimeret, eius iã regno Francis graui Vindiomarus missa aurei medietate, clam Hildericum reuocat, eiq; restitutionem in regnum conciliat. Eodem tempore, Franci post Vuandalos & Alanos, post Gotthos & Hunnos incessunt Gallias, non tantùm vt habeãt direptioni, sed vt sibi sint perpetuæ habitationi: qui capta Colonia Agrippina, fugato de bello duce Egidio, multos Roma-*

*totum genus Albini extinxit. Spartianus in Seuero.*

## Coniuratio in Getam.

Baſſianus *alter ex Seueri filiis, fratrem Getam in palatio fecit occidi, poſt patris mortem, cõqueſtus apud milites ſe eius inſidiis circumueniri, & ſibi ab eo venenum parari: dicẽtibus cunctis ſe duobus fidem promiſiſſe liberis Seueri, duobus ſeruare debere, Papinianum iuris aſylum, & doctrinæ legalis theſaurum, vnà cum filio, quòd parricidium excuſare noluiſſet, in conſpectu ſuo occidi iuſſit, & præfectum quidem ſuum, ne homini per ſe & per ſcientiam ſuam magno, deeſſet & dignitas. Spartia. in Seuero & Baſſiano. Ob illam cauſam, quia imperator ab hominibus puniri non poterat, furore pœnas dedit Dirarum inſectatione, quæ non immeritò vltrices vocantur, à quo pòſt furore conualuit. Sex. Aurel. Victor in Caracalla.*

Con-

## Coniuratio in Bassianum, Antoninum Caracallam.

Bassianus *cùm ad requisita naturæ, seu officia naturalia secessisset, insidiis à Macrino PP. positis, qui post eum inuasit imperium, interemptus est. Conscij cædis fuerunt Nemesianus & frater eius Apolinaris, & plerique officialium, cùm ex equo, leuandæ vesicæ causa, descendisset, atque inter protectores suos coniuratos cædis ageret: itaque euenit quòd Papinianus prædixerat, cùm ad mortem raperetur, stultissimum fore, qui in suum locum subrogaretur, nisi adpetitam crudeliter præfecturam vindicaret. Spartianus lib. eod.*

## Coniuratio in Macrinum.

Cùm *Macrinus, cum Diadumeno filio ab exercitu essent creati Imperatores, ab eodem exercitu, anno sequente obtruncati sunt, eò quòd Macrinus militarem luxuriam, stipendiaque profusiora comprimeret.*

## Coniuratio in Heliogabalum seu Pseudentonium, & Sardanapalum.

Heliogabalus *tumultu militari occisus est, corpus more canis à milite tractum est, & nouissimè in Tiberim proiectum, adiecto ponne vnquam emergeret. Sex. Vict.*

## Coniuratio in Seuerum.

Alexander *occiditur Magonciaci tumultu militari. Sunt qui à Maximino immissos tyrones dicant, qui eum cum matre occiderēt. Is cùm se deseri à stipatoribus suis videret, occurrenti percussori ceruices suas præbuit. Victor. Lampr.*

## Coniuratio in Maximinos.

Apud *Aquileiam seditione militum discerptus est Maximinus pater, vnà cùm filio, cùm primus ex corpore militari sine Senatus authoritate ab exercitu Imperator electus esset.*

*ſet. Vict. Euſ.chroni. Huius imperio Gordiani pater & filius principatum arripientes, vnus poſt vnum interiêre. Pupienus etiam & Balbinus regnũ inuadentes perempti ſunt, & in palatio occiſi, ingreſſo Romam Gordiano Euſeb.chr.Victor.*

## Coniuratio in Philippos.

*Ambo tumultu militari & fraude Decij, alter Veronæ, alter Romæ interfecti. Oroſ. li.7. cap.20.Euſeb.chronic.*

## Coniuratio contra Decios, Gallum & Voluſianum.

Decius *cùm filio in medio Barbarorum ſinu interfectus. Gallus & Voluſianus dum contra Æmilianum res nouas molientem bellum exercent, occiſi ſunt. Oroſ.lib.7.ca.21. Euſeb.chr.Sex.Aur.Victor.*

## Coniurationes contra Galienum & Valerianum.

Sub *his Principibus triginta Tyranni con-*

*tra Imperatores legitimos rebellarunt, quorũ vitas scripsit Trebell. Poll.*

## Coniurationes contra Aurelianum.

*Is fraude serui sui ab amicis suis interfectus est, metu falsarum literarum, Victor.*

## Coniuratio in Probum.

Hic *Sirmio in turre ferrata, militari tumultu occiditur. Oros. lib. 7. cap. 24. Victor. Saturninus tyrannus ab eo oppressus, vt & Proculus & Bonosus. Oros. Euseb.*

## Coniuratio in Numerianum.

Numerianus *fraude Apri soceri, per insidias est occisus. De quo Apro postea Diocletianus supplicium sumpsit.*

## Coniurationes in Diocletianum, seu Imperium Romanum, seu quietem Galliarum.

Diocle. *rusticorum multitudine oppressa, quæ factioni suæ Baugaudarum nomen indiderat pacem Gallis reddidit. Idem Carausium, qui sumpta purpura Britannias occuparat. Item Achilleum qui in Ægyp. Narse. qui in Orien. quinquagentianos, qui in Afric. rebellabant, auxilio Cæsarum sibi assumptorum compescuit. Euf. ch. Oros. li. 7. ca. 25.*

*Al. Bagaudarũ, quidam hoc verbum significasse tumultũ putant.*

## Coniurationes Arrianorum in Catholicos, Principes, & Ecclesiam atq; Sacerdotes.

Ex quo *tempore Constantius tertius, inter liberos Constantini Augustus, in hanc hæresim delapsus est, impietas Arriana illius præsidio fulta exiliis carceribus, & variis afflictionibus, primùm Athanasium, deinde omnes non suæ partis Episcopos persecuta est. Eusebius chronic. Iisdem ferè temporibus Vetranio & Nepotianus contra Imperatores rebellarunt, & dignum factis exitum inuenerunt, proscriptis eorum consciis. Sed & Syluanus in Gallia res nouas molitus extinctus est. Omnes penè toto orbe Ecclesiæ, sub nomine*

*pacis, & regis Arrianorum consortio polluuntur. Idem Euseb. Anno etiam xii. Theodosij imperij, Eutrop. consul in magistratu ob eandem causam occisus est, & nomen eius fastis erasum. Socrat. lib. 6. c. 5. Ecclesiast. hist.*

## Coniurationes sub Valentiniano & Valente, & Theodosio.

Procopius *qui apud Constantinopolim hoc tempore tyrãnidem inuaserat, apud Phrygiem salutarem extinctus est, & plurimi Procopianæ partis cæsi atque proscripti. Hierony. in Chronic. appen. Sed & Firmus qui apud Mauritaniam regnum inuaserat, extinctus ope Theodosij, in Imperij subsidium acciti. Sext. Aurel. Victo. Oros. lib. 7. c. 33.*

*Eo tempore Maximus apud Britanniam tyrannide arrepta in Gallias trãnsmisit, Gratianum extinxit: quem Theodosius postea vltus interfecit cum Victore eius filio. Eugenium etiam tyrannum & Arbogastem idem Theodosius superauit. Sex. Aurel. Victor.*

Con-

## Coniurationes contra Archadium & Honorium pueros Auguſtos.

Gildo *Comes minimam in paruulis ſpem fore ratus, Affricam in ditionem ſuam aſſerit hic à fratre contra ſe miſſo ſuperatus, ſtrangulatus poſt aliquot dies eſt.* Rufinus *Orientalis aulæ tutor tyrannidem affectans, occiſus. Stilico filio ſuo Eucherio Imperium procurans ſimilem reperit exitum, vnà cùm filio Eucherio. Anno xi. Imperij Theodoſij Iunioris, Herodiani illius anni Conſulis memoria, ob crimen perduellionis damnata fuit, eo in magiſtratu occiſo, & nomine eius faſtis eraſo. Hinc fit vt l. 6. C. de iuriſd. Lucium tantùm ſubſcriptum habeat.*

## Coniurationes omnium gentium aduerſus Imperium maximè occidentale.

Saxones, *Vuandali & Alani Galliarum partem, quòd reliquum eſt, Conſtantinus ty-*

*rannus, post Gratianum tyrannum obsidebat, ipsa denique orbis caput Roma, deprædationi Gotthorum fœdissimæ patuit. Prosper Chronic. hoc tempore diuersi tyranni exorti sunt, Gerontius Comes, Maximus, Iouinus cum fratre Sebastiano, Atauulfus, Sallustius, Alaricus, Heraclianus Comes Africæ: Ioannes ex primicerio Notariorum. Oros. Prosper Chronic.*

* Gallia *vlterior* * *Batonem Principem rebellionis secuta, à Romana societate discessit, à quo tracto initio omnia pene Galliarum seruitia in Bagaudam conspirauêre: sed sequente anno capto Batone & cæteris seditionis Principibus victis vel necatis, Bagaudarum commotio conquiescit. Prosper Chronic. Vtinam in Gallia non iterum suscitati essent Bagaudæ. Attila Gallias vt proprias vindicat, graui clade accepta tandem recedit.*

** Sunt adhuc apud Bituriges quidam huius nominis superstites qui ab Istione ortum habuerint, affirmare non ausim.*

Aetius *etiam & Maximus in Valentinianum exarserunt, post quorum exitum, capta Roma est à Genserico: sed Ætio fraude Maximi iam perierat: Valentinianus dolo Maximi truncatus: hic Maximus tertio tyrannidis suæ mense, membratim à populo Romano est disser-*

*cerptus & in Tiberim deiectus.*

Auitus *in Galliis assumit Imperium, qui deinde Placentiæ captus est à magistro militũ Ricimere. Leuatus est etiam Imperator Maioranus, vt in chronicis manuscriptis notatur: quo Maiorano immissione Ricimeris occiso, Seuerus in eius locum Imperator substituitur: qui quarto Imperij sui anno fraude etiam Ricimeris peremptus est. Leuatus est Imperator Anthemius. Seruandus Gallorum præfectus Imperium tentans inuadere, iussu Anthemij perimitur: anno sequente Romanus similiter Imperium adfectans capite cæsus est. Aspar adfectans tyrannidem Constantinopoli à Leone Imperatore occiditur, cum Ardabure & Patritiolo filiis. Bellum deinde ciuile gestum est Romæ inter Anthemium Imperatorẽ & Ricimerem: Anthemio occiso, loco eius Olybrius, eo adhuc viuo, leuatus est Augustus: qui etiam Gundibaldum Rauennæ fecit Imperatorem, eodemq́; Gundibaldo hortante Glicerius (aliâs Lucretius, aliâs Licerius, aliâs Liarius) plus præsumptione quàm electione Cæsar factus est. Anno deinde sequenti Nepos patri-*

*cius, Lucerio expulso & Episcopo Salonis ordinato, Imperium arripuit. Leone Imperatore mortuo, & Zenone Imperante, Orestes pater Augustuli, Nepotem Imperio expulit, & filium suum Augustulum Imperio præfecit. Sequenti anno ab Odoacre occupatur Italia & Imperiũ, & Orestes cum fratre Paulo necatur. Odoacer nomen Regis adsumpsit, Augustulum in exiliũ misit. Hic Imperatorum Romanorum veteris Romæ finis fuit, Gotthorum dehinc regibus Romam obtinẽtibus: regnat Odoacer nullo inquietante 14. annis. Paul. Diac. Iornandes: Comes Marcellinus: Sigebert. &c.*

Theodericus *Rex regnum Italiæ sibi à Zenone donatum, vt sibi retineret, vt Gotthi scribunt & plerique Historici, seu vt legitimo Imperatori, id est ipsi Zenoni seruaret & restitueret, vt Balisarius ait apud Procopium in Gotthicis, Odoacrum quarto certamine superauit: & eum in fide susceptum truculenter peremit.*

Eodem *Zenone imperante Ilus & Leontius tyranni effecti in partibus Siriæ & Isauriæ debaccabantur: sed non multò post ab exer-*

*citu*

*cituZenonis capti, decolatiq; sunt, & capita eorum Constantinopolim allata, præfixaq; hastilibus, tabuère.*

## Coniurationes contra Regem Francorum.

Leone *imperante, Franci contra Regem suum Hildericum Merouei filium, quod filias eorum insolenter & luxuriosè constupraret, regno deturbant. Qui data aurei medietate amico suo Vindiomaro, reconciliationis speratæ symbolo, apud Basinum Thoringorum Regem latuit annis octo. Franci verò Egidium ducem Romanorum, Regem sibi præficiunt: sed cum Francos plus iusto hic opprimeret, eius iã regno Francis graui Vindiomarus missa aurei medietate, clam Hildericum reuocat, eiq; restitutionem in regnum conciliat. Eodem tempore, Franci post Vuandalos & Alanos, post Gotthos & Hunnos incessunt Gallias, non tantùm vt habeãt direptioni, sed vt sibi sint perpetuæ habitationi: qui capta Colonia Agrippina, fugato de bello duce Egidio, multos Roma-*

*rorum occidunt: mox Treuerim ad Mosellam capiunt, & altero post anno Hildericus Aurelianam vrbem deuastat, & biennio post Andegauensem ciuitatem: eius quoq; filius Clodoueus Suessione cum Syagrio Romanorum duce congreditur: hic victus Tolosam ad Alaricum fugit, à quo Clodoueo reposcenti remissus occiditur. Clodoueus verò quicquid Galliarum sub iure erat Romanorum, ad ius Francorum transfert, & primum vsq; ad Sequanam, postremum etiam vsq; ad Ligerim regnum dilatat, & castrum Maledunum occupat ad Sequanam: tandem etiam Burgundiam sibi fecit tributariam, victo eius Rege Gundebaudo. Itaq; ab Anastasio Imperatore codicillos consulatus & coronam auream, cum gemmis, & tunicam * blatteam accepit, & Consul ex ea die & Augustus est appellatus. Ipse quoq; Rex misit Romæ S. Petro coronam auream cum gemmis, quæ corona in hunc vsq; diem regnum appellari solet. Sigibert. chronic. Ex his liquet iam inde ab initio Imperium Occidentale in ius ac ditionem Francorum Regum cessisse: accedente etiam Orientalium Imperatorum ratihabitione:*

*Regnum Francorum.*

*Id est, ex serico chrame syneneto textam.*

*tione: quod & ex Procopio in Gottichis liquet, non autem à solis Caroli Mag. temporibus: atque idcirco à regno Francorum nomen Imperij Occidentalis auelli non potuisse, quin & regnum ipsum extingueretur. sed ea de re diligētior à nobis perscripta est tractatio.*

## Coniurationes contra Anastasium Imperatorem.

Bella *ciuilia aduersus Anastasium à Vitaliano excitata sunt, propter Eutichianam hæresim Deo & hominibus exosam. Anastasius fulmine eam ob rem à Deo percussus interiit.*

## Coniurationes contra Iustinum & Theodericum.

Iustinus *Imperator inhiantes regno suo Amantium & Andream ferro, Misaelem & Ardaburem exilio puniuit. Theocritum Amantij satellitem, saxis contisque cæsum, salsum in gurgitem iecit, sepultura & Imperio eum priuans: fœdus cum Vitaliano percussit, & ad*

*se euocatum, magistrum militum præsentalem & consulem ordinarium fecit, quem rursus in suspicione habens prioris facti, sedecim vulneribus in palatio cum Celeriano & Paulo satellit. confossum perimit.*

Boetius *annitẽte sibi Symmacho cum auctoritatem Romani Senatus contra Theodericum Regem Italiæ tueri nititur, ab ipso in exilium pellitur, vbi librum de consolatione Philosophiæ scripsit. Sigib. chronic. Pau. Dia. Sed & longo exilio fatigati, tandem ab eodem perimuntur. Sigib. addit Diaconus & Ioannem Papam ab eodem peremptum, quòd eum Theodericus catholicæ pietatis defensor honorificè suscepisset, sed vltione diuina non multo post subita morte Theodoricum fuisse percussum.*

## Coniurationes contra Iustinianum.

*Hypatium Pompeium & Probum, Imperiũ adfectantes, quinta sceleris die trucidari iussit, & socios eorum proscripsit aduersus Theodatum, qui Amalasuntam in balneis strangulari iusserat, Belisarium in Italiam mittit. Belisarius*

*lisarius apud Iustinianum affectatæ tyrannidis defertur, & ab eodem absoluitur. Sub Iustino Iustiniani filio Narsas rebellauit, & Longobardos in Italiam introduxit.*




*FINIS.*



